Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

~~Ji. XVI. 4.~~

41.a.16.

Ji-3149 1-3.

Ji

Universitäts Bibliothek Rostock

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850650209/phys_0002

DFG


JO. BALTH. WERNHERI, D.
Juris Prof. Publ. Curiæ Provincialis, Scabinatus Electoralis Saxonici, & Facultatis Juridicæ in Academia Vitembergensi Assessoris

ELEMENTA JURIS NATURÆ ET GENTIUM,

Ex universali Principio deducta, nec non ad usum in Jure Civili passim accommodata.



VITEMBERGÆ,
Sumptu CHRIST. THEOPH. LUDOVICI,
ANNO MDCCV.



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850650209/phys_0006
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI AC

DOMINO

DN. ANTONIO EGONI,

Principi in Fürstenberg, Comiti in Heiligenberg & Werdenberg, Landgravio in Baar, Dynastæ in Hausen in valle Kitzingia & in Weitra, Trochtelfingen & Wehrnwag, &c. &c.

Sacræ Regiæ Poloniarum Majestatis & Electoris Saxoniæ

In Electoratu & unitis Provinciis Gubernatori Eminentissimo.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850650209/phys_0007
DFG

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,

QVod multi fortasse temeritatis nomine accusabunt, exiguum libellum, nullaque genii sui fiducia subnixum viam ad Tantum Principem affectare, ejus, spero, veniam facile exorari potes. Tam inusitato enim & prope incredibili favore literas

teras prosequeris, ut vel solus eas juvandi conatus, atque voluntas Tibi displicere non possit. Intelligit nempe excelsus ille Animus Tuus, longeque supra mortalium sortem erectus fovendas esse Musas, quæ præclaris factis æternitatem conciliant, eorumque memoriam duraturo stylo ad posteros transmittunt. Quod eo magis SERENITATI TUÆ convenit, quo illustriori exemplo jam integram Europam fama, & cumulatissimis factis implevit. Miratur & stupet Saxonia ad incredibilem illum Divinæ mentis Tuæ vigorem, quiin-

ter

ter maximas pro publica tranquillitate susceptas curas, & diurnos pariter, nocturnosque labores semper sibi constat, nec ulli labori cedit, nec fatigando elangvescit, & frangitur. Quocirca felices se fortunatosque censent omnes, qui Tua, Serenissime Princeps, Gratia Patrocinioque excitati ad scientias excolendas, literarumque ornamenta incumbunt; quorum omne præsidium, ac tutissimum firmamentum in Te situm est, qui clavum consilii Regii tenes, omnesque curas, atque cogitationes Tuas ad Saxoniæ salutem referre

ferre soles. Hic vero libellus eo benigniorem sibi aditum apud Te, Serenissime Princeps, pollicetur, quod ipsam civilem vitam idoneis præceptis instruit, & cum primis sanctissimæ illius obligationis, qua subditi Imperantibus devincti sunt, indolem ac originem solertius tradit & investigat. Quamobrem accipe gratioso vultu, Serenissime Princeps, hoc summæ in Te pietatis, sanctissimique obsequii mei monumentum, & qui enixissime vis, ut nemini honesta emergendi via intercludi debeat, & literarum decus firmum nobis, florens-

que

que præstas, me quoque in Gratiæ Tuæ fiducia conquiescere, clementer patere. Qua spe fretus, & animo plane confirmatus DEUM Immortalem persancte oro, ut consiliis Tuis, quæ pro Regis, ac Reip. incolumitate capis, porro interfit, & Saxonum res, Te Auctore, quam diutissime floreant, felicissimeque conserventur.

SERENITATIS TUÆ

Dabam Vitembergæ
Saxonum Calendis
Jun. MDCCIV.

Devotissimus, & humillimus
Servus
JO. BALTHAS. WERNHER. D.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVi multis jam ab annis in ea disciplina, qvæ Leges Naturales complecti dicitur, versor, nec solum scriptis, qvæ in hoc genere plurima extant, evolvendis occupor, sed etiam, qvi mos in Academiis esse solet, docendo ac disputando non parum temporis in hoc argumento consumpsi, nescio, qvi factum, ut, qvo altius provehi, indiesqve magis illam disciplinam perficere

nonnullis videbar, hoc magis me, cursu veluti retro acto, ad carceres a calce reverti, nec tam augeri scientiam meam, qvam parum certi in ea me percepisse, nec in posterum etiam vulgari methodo plus percepturum esse, qvotidie clarius intelligerem. Nisi qvod animus Mathematicis disciplinis ab ineunte ætate mea innutritus, illa, qvæ imperio solius rationis ultimato subsunt, credere potius, qvam scire, & cuiqvam veritati, nisi clare distincteqve perceptæ assentiri, servile, liberoqve ingenio indignum judicaret; atqve adeo parem cum demonstrationibus Mathematicis certitudinem ubiqve requireret. Qvam qvia in multis libellis, qvi talem demonstrandis

modum

modum præ se ferunt, frustra qvæsivi, eoqve tempus & laborem neqvicqvam prodegi, pristinum ardorem meum sensim langvescere, & animum tædio correptum ad hæc studia propemodum frigere sensi. In qvas cogitationes cum inciderem, qvod toties fieri necessum erat, qvoties vel vitæ consvetudine, vel officii ratione adductus in eo genere versabar, parum abfuit, qvin hoc curriculum me semel ingressum esse pœniteret, in eoqve solam probabilitatem regnare, firmas autem demonstrationes, qvibus mens permoveri ac tranqvillari possit, frustra reqviri existimarem. Nec vero me aliam ob causam a tali cogitatione antea abhorruisse intelligebam, qvam

qvod de veritate opinionum apud omnes receptarum dubitationem ſuſcipere, ſtolidum judicaveram, & ſi qvid tale præ me ferrem, metuendum erat, ne febriculoſam nonnullorum hominum Collegiis ſuis MSS. immorientium cenſuram provocarem; cum qva turba pacem non facile abrumpendam eſſe, multorum exempla docere videbantur. Enimvero hoc ſervitutis genus animus jamdudum exuerat, ſuæqve libertatis memor nihil magis, qvam præjudicia, averſabatur, qvæ mentis oculos præſtringunt, &, velut nube obducta, ad clariſſimam veritatis lucem cæcutire faciunt. Sed cum hoc ipſum, nihil certi in diſciplina Juris N. dari, falſum eſſe, evi-

den-

denter cognoscerem, nec tamen, in qvo pedem figere liceret, invenirem, præsertim cum qvotidie earum, qvas pro inconcussa veritate vulgo jactant, opinionum errores magis perspicerem, nihil consilii reliqvum esse videbam, qvam ut ex integro omnia agerem, in eoqve omnes mentis nervos contenderem, ut, qvid in ipsis fundamentis, qvibus universa morum disciplina superexstructa est, solidi subsit, accurate investigarem, atqve distincte perciperem, &, si illa lubrica esse, & facile subrui posse intelligerem, novam veritatis indagandæ viam ingrederer, aut saltem hoc ipsum, demonstrationibus in hoc genere locum nullum esse, certo cognoscerem. Qva

meditatione ſuſcepta, in principiis, qvæ huic diſciplinæ ſubſterni ſolent, examinandis ita verſabar, ut circa ſingula, utrum ſaltem ea ſanæ rationis dictata, qvæ a nemine in dubium vocantur, ex illis colligere, & firmiter demonſtrare poſſem, ſedulo experirer. Et cætera qvidem huic fini neqvaqvam ſufficere, & neqvidem generaliſſima Juris N. capita inde deduci poſſe, facile perſpiciebam; ea vero ſola philoſophandi ratio, qvam cum *Grotio*, qvi primus huic diſciplinæ lumen intulit, *Pufendorfius*, celebratiſſimæ vir memoriæ, ſecutus eſt, aliqvid ſolidi in receſſu habere videbatur; qvo magis mirabar, utrumqve in particularibus Juris N. præceptis explicandis principium a

ſe

se præstructum deseruisse, ad solas æqvitatis rationes, qvæ sæpe pari pondere in utramqve partem suppetunt, prolapsos, ut qvoad speciales qvæstiones perinde videretur, atqve si nullo docendi principio usi essent; cum filum illud rationis, qvo in lucem veritatis evadere constituerant, subinde abrumperent, & hinc non semel, qvod nemo cordatus neget, qvalemcunqve æqvitatis speciem pro ipso Naturali Jure admitterent. Neq; aliam ejus rei rationem deprehendere licuit, qvam qvod ea, qvæ ex recepta apud omnes opinione ad Jus N. pertinent, & ipsi ad hanc Disciplinam rerulerint, & qvia moralitatem eorum ex suo principio deduci non posse intelligebant, ea potius qvibuscun-

qve rationibus aliunde petitis munire, qvam tantam partem ex hac Disciplina eliminare satius duxerint. Enimvero cum semel genuinum Juris N. fundamentum indagassem, idqve ab omnibus dubiis, ac objectionibus liberassem, atqve obfirmato animo in perqvirendis Legibus Naturalibus ad illnd unum recurrerem, in proclivi erat, deprehendere, eorum pleraqve, de qvibus Moralistæ tam acres & ambitiosas lites movent, plane ad objectum Juris N. haud pertinere, & hinc de illis statuendi liberrimam facultatem cuivis legislatori relictam esse. Qvo consilio ut illas meditationes meas digererem, atqve in ordinem redige-

digerem, universam hanc disciplinam delineare, qvidve ad eandem proprie pertineat, & qvid inter indifferentia reponendum sit, breviter indicare animum induxi, ac tandem perfeci. Qva in re ita luculenter, ut puto, versatus sum, ut cuivis sanæ mentis hac via ingresso perfacile sit, omnia Juris N. præcepta sine ullo negotio cognoscere, & demonstrare. Ne tamen circa singula, cumprimis specialia, præcepta necessarium eorundem cum naturæ humanæ conditione nexum inculcari, tædium lectori afferret, sæpe, omissa demonstratione, qvid Juris N. esset, simpliciter posui, sic tamen, ut cuivis referendo se ad principium a nobis præstructum in proclivi sit, illam

illam ſupplere, aliqvando etiam, qvod fateor, rationes ex ſola probabilitate deſumtas adjeci, qvibus tamen non ex ſe, ſed propter neceſſariam actus, qvem definio, habitudinem ad Principium noſtrum, qvæ ubivis præterea manifeſte ſubeſt, fidem haberi volo. Qvod inſtitutum ut uſui Auditorum meorum commodius inſerviret, præcognita qvædam de Principiis ac Norma Actionum humanarum adjeci, & in univerſum operam diligenter dedi, ut omnia ad aliqvem in Jure Civili uſum, qvantum licuit, rransferrem. Qvod eo majori cum cura mihi agendum eſſe exiſtimabam, qvo plures ſunt, qvi de hoc ſtudiorum genere abjecte ſentire, idemqve illis,

lis, qvibus aliqvando causas in foro orare constitutum, inutile esse, vel sibi persvadent, vel aliis certe, tyronibus cumprimis, rerumq; civilium rudibus persvadere conantur. Qvibus hominibus proprium ingenium satis grave supplicium est, & qvia suggillant, ac reprehendunt, in qvo ipsi hospites plane sunt, illorum judicio hac in parte non multum tribuendum esse, in aprico est. Cæterum sicut *Grotii* ac *Pufendorfii* Lectioni multum me debere, atqve ad hæc meditanda occasionem ex ipsis arripuisse, ingenue fateor, ita a recentioribus Scriptoribus, illis præsertim, qvi adhuc in vivis sunt, ambitiose allegandis consulto abstinui, ut, qvia ab ipsorum placi-

tis

tis non semel recedere veritas coegit, iis refellendis inanem gloriolam captare ne viderer; cui nonnisi veritatem investigare, nec a qvo, sed qvid dicatur, attendere, rerumqve momenta ponderare, cordi est. Unde qvam modestiæ legem mihi ipse posui, eandem ab aliis qvoqve expecto, qvi forte ad hæc censenda accedere voluerint. Illud etiam circa principium huic disciplinæ a nobis substratum monendum fuerit, si qvis fortasse illud nimis angustum esse existimet, ante omnia ipsum eorum, qvæ inde deduci posse negat, moralitatem aliunde liqvido demonstrare debere; ne manifestam principii petitionem committere, atqve in notissimas Logicæ regulas impingere

gere videatur. Sicuti etiam in hac disciplina, ubi ultima decisio ex sola ratione petenda est, auctoritatem, & cumprimis vulgi persvasionem nihili plane facio; cum tot vulgo errores pro indubitatis veritatibus inposuisse, indies magis experientia doceat, ut sæpe opinio ob hoc solum, qvod communiter recepta est, suspecta esse debeat. Sed tamen, uti nemini mortalium de immunitate ab erroribus privilegio cautum est, & qvisqve cordatus meliora admonitus hæc libenter arripit, suaqve emendat; ita si me qvoqve alicubi erasse contigerit, neminem, spero, tam elato supercilio fore, qvi propterea omnem hunc laborem contemnendum censeat, solusqve humanam

manam conditionem dedignari audeat; præsertim cum nondum mihi ea sit a canis vel pertinacia, vel singularis cujusdam sapientiæ persvasio, ut priorem sententiam dimittere, & meliorem seqvi, pudendum judicem. Deniqve vel eo nomine publicum sibi favorem Elementa hæc pollicentur, qvod usui legum cupidæ juventutis, qvæ meis se scholis addixit, unice dicata, atqve ad Principia juris eidem commodius instillanda conscripta sunt; de qva bene merendi, & muneris sibi commissi partes explendi voluntas vel sola optimo cuiqve probatur. Vale, Lector, & conatibus nostris fave.

Elementorum Juris Naturæ & Gentium LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPIIS ACTIONUM HUMANARUM.

§. I.

CUm propositum nobis sit, Jura homini insita, ad qvæ actiones ejus attemperandæ sunt, explicare, ante omnia inqvirere debemus in naturam actionum humanarum; ut intelligamus, ex qvibus principiis eæ procedant; sic enim facilius multo patebit ratio, qva ad justitiæ regulas, & vitæ civilis decus componendæ sint.

§. 2. Intuentibus autem indolem conditionemqve hominis liqvido apparet, animal eum

esse, insigni qvadam vi circa dijudicandas res, & mirabili mobilitate circa easdem appetendas, fugiendasqve præditum. Illa *Intellectus*, hæc *Voluntatis* nomine venire solet.

§. 3. Intellectus per duas facultates se exerit; *apprehensivam*, & *dijudicativam*. *Facultas apprehensiva* est, qva mediante intellectui simpliciter se & veluti confuse objectum, ejusqve bonitas & malitia sistit, non secus fere atqve in speculo objecti species se repræsentat. Et hæc facultas ex earum numero est, qvas Philosophi *naturales* appellare solent, *liberis* contradistinctas. Sane enim in hominis arbitrio positum haud est, qvomodo objecta apprehendat; sed, prout ea se offerunt, ita necessario eorundem species ipsi imprimitur.

§. 4. Ex hoc colligi manifeste potest, legibus atqve industriæ humanæ nihil in facultatem hanc licere. Nullius enim externi principii directioni subest. Unde præcipi cum effectu neqvit, ut intellectus aliter rem apprehendat, qvam ea se ipsi exhibet, non magis sane, atqve oculis injungi potest, ut objectum visivum sub alia imagine recipiant, qvam illud se eisdem offert. Illud tamen hominis diligentiæ relictum, ut accuratam meditationem circa objectum adhibere, & omnibus animi vi-

mi viribus eidem incumbendo veriorem ejus speciem sibi figurare qveat, qvam si externæ tantum superficiei inhæreat. Qvocirca, si utilitas Reip. svaserit, possunt qvandoqve cives ad ejusmodi actus exercendos cogi, qvibus animus ad interiora objecti excutienda magis invitetur.

§. 5. Unde apparet, qvanta cum iniqvitate conjunctæ sint pœnæ, qvæ in diversæ religionis homines qvandoqve statui ab imperantibus solent. Totum enim religionis negotium ab assensu voluntatis dependet, qvi formatur ex apprehensione intellectus, hanc vero ab arbitrio hominis non dependere, demonstratum est. Qvamvis enim hoc qvidem cruciatuum magnitudine effici fortasse possit, ut obtrusam religionem tantisper qvis qvoad externos actus amplectatur; tamen ut eidem assensum præbeat, qvo solo religio constat, per vim inpetrari neqvit. Præsertim cum veræ religionis scita, nisi secreto Dei auxilio, penitus in animum admitti haud possint. Recte tamen compelluntur, qvi falsam persvasionem circa cultum Numinis fovent, ut certis temporibus prædicationem Verbi Divini audiant, aliaqve media adhibeant, qvibus inscientiæ atqve errorum tenebræ dispellantur, & genuina

nuina objectorum imago animis repræsentetur; qvod circa Judæos in aliqvibus locis fieri consvevit.

§. 6. *Facultas Dijudicativa Intellectus* dicitur, per qvam homo discernit objecta, rationes bonitatis atqve malitiæ, qvæ in iis se offerunt, examinat, & demum qvid, qvomodo & qvando agendum sit, judicat; simulqve in media ad finem conseqvendum necessaria, vel saltem utilia inqvirit. Qvæ facultas persæpe rationis vocabulo simpliciter posito indicari solet. Vocatur etiam *judicium practicum*. Et circa hanc magnam vim cultura humana habet. Qvippe rectitudo judicii ex hoc præcipue oritur, qvod qvis objecti indolem cum cura & attentione scrutatur, rationes bonitatis atqve malitiæ, qvæ in eo obveniunt, diligenter eruit, eas ultro citroqve expendit, & deniqve, utrum actio suscipienda sit, necne, dijudicat. Apparet autem, naturalem hanc vim contentione, & assvefactione plurimum juvari; ad qvam lex, ejusqve cognitio non parum conferre potest. In eo etiam opera ponenda, ut præjudiciis animus liberetur, qvibus plerumqve inde a teneris occupari solet; qvæ judicandi vim misere corrumpunt.

§. 7. Circa intellectum vero in doctrina mo-

na morali fundamenti loco tenendum est: Qvemvis hominem mentis suæ compotem, & in matura ætate constitutum pollere iis viribus, & naturali lumine, ut, si debitam diligentiam atqve attentionem afferat, possit liqvido cognoscere Juris Naturalis regulas, & qvomodo secundum eas actiones sibi componendæ sint, perspicere. Nisi enim hoc largiamur, vacillabit omnis doctrina moralis, nec poterit qvisqvam ob violata hæc jura reus agi; cum iniqvissima sane videatur pœna, qvæ statuitur in transgressorem illius legis, cujus notitiam, debita cura adhibita, acqvirere non potuit, adeoqve nec illa obligari; qvia obligatio legis præcedentem ejus cognitionem supponit.

§. 8. Cæterum judicium Intellectus de actionis obvenientis convenientia, aut disconvenientia cum lege *Conscientia* dici solet. Hæc non unius generis, sed divisio ejus abit in *Rectam*, *Probabilem*, *Dubiam* & *Scrupulosam*. *Recta* vocatur, qvando intellectus actionis congruentiam cum præscripta norma ex firmis, & immotis principiis evidenti demonstratione deducere novit, ut proinde animo apodictica certitudo de rectitudine actionis insit. V. gr. cum qvis ab injusto invasore in præsens vitæ

periculum conjicitur, ipse vero illud cæde aggressoris declinat; conscientiam habebit rectam, siqvidem ad principium illud Juris N. attendat, qvod qvilibet homo non debiliore vinculo sibi, qvam cuivis alii obligatus sit, neqve necessaria hujusmodi defensio qvicqvam cum societatis humanæ salute pugnet; indeqve rectitudinem hujus facti firma animi persvasione derivet. Enimvero uti hæc conscientia actionum bonitatem atqve malitiam ex norma præscripta judicat; ita manifestum est, omne factum spontaneum, qvod omittendum, ut & omissionem actionis, qvam ea suscipiendam esse dictitat, peccatum esse; & longe gravissimum qvidem, qvod, cum contra rectam conscientiam fiat, a majori qvadam proæresi animiqve destinatione proficiscatur.

§. 9. *Conscientia Probabilis* est judicium intellectus de bonitate vel malitia actionis, qvod non evidenti demonstratione, sed rationibus tantum probabilibus nititur. Unde apparet, probabilem conscientiam a recta differre non qvoad ipsam judicii veritatem, sed tantum qvoad cognoscendi modum; qvod nempe *recta* evidenti certitudine nitatur; *probabilis conscientia* vero extruatur ex rationibus tantum probabilibus, & qvas a veritate aberra-

aberrare posse, ipse qvis intelligit. Probabilitatis autem hujus varium potest esse fundamentum; ut assvefactio, Parentum Doctorumve præscripta regula, & communis vivendi tenor. Et hac conscientia plerosqve mortalium regi videas; cum pauciſſimi ad genuina principia actiones suas revocare soleant; qvam tamen vivendi rationem prudentiſſimus qvisqve sibi maxime commendatam habet. Cujus enim actiones nihil probabile aut fortuitum continent, sed a solidis fundamentis & recta ratione procedentes in apodicticam demonstrationem resolvuntur; is animo læto & sibi constante omnia peragit; & neq; ad vanas aliorum laudes se attollit, neqve ad vituperium iniqvum concidit. Qvæ æqvitas animi in aliis plerumqve deficit. Cæterum ex dictis liqvet, conscientiam ne qvidem probabilem eos habere, qvi nullis fuffulti rationibus unius, alteriusve Doctoris falsæ assertioni fidem habent, atqve ejus auctoritatem, velut actionum suarum ducem, seqvuntur; præsertim si alii non minori auctoritate pollentes in diversas ab eo partes discesserint.

§. 10. Frustra igitur in foro Civili impunitatem, aut mitigationem pœnarum exposcunt, qvi vel ad aliorum exempla paribus delictis

ctis operam dantium provocant, vel pestilens illud *Casuistarum* nonnullorum dogma, suis factis obtendunt, qvod conscientiæ securitatem omnibus pollicetur, qvi in actionibus suis saltem unum Doctorem, utut nullis rationibus subnixum, approbatorem habeat. Qva fictitia probabilitate omnem doctrinam moralem tolli, recte animadvertit *Pufend. d. J. N. & G. Lib. I. C. III. §. 5.*

§. 11. *Conscientia dubia* dicitur, cum intellectus in moralitate suscipiendæ actionis examinanda nihil certi expedit, sed anceps in utramqve partem hæret, ignarus, utri contradictionis parti accedere debeat. Qvæ dubia plerumqve ex infirmitate & oscitantia intellectus oriri solent; cum vel ad qvasvis facti circumstantias non attendit; vel principia universalia sibi inexistentia non recte discernit; aut ex præjudicio fortasse aliqvo male applicat. De qva conscientia recte *Moralistæ* tradunt, qvod tamdiu actio sit differenda, donec accuratiore examine instituto, demum qvid faciendum, vel omittendum sit, liqvido appareat. Graviter enim peccat, qvi, cum conscientia ejus velut in æqvilibrio adhuc hæret, nihilosecius ad alterutram se partem determinat; qvamvis fortasse in eam incidat, qvæ vera est. Qvi enim

nim insuper habet, utrum, qvod agit, legi repugnet, necne; is, qvantum in se, legem jam violavit. Enimvero hæc in moralibus tantum, qvæ vel bona, vel mala sunt, sibi locum vindicant. Nam circa indifferentia longe secus res habet. In his enim, eveniente tali casu, alterutrum, si negotii expediendi celeritas jubeat, eligere, & deinceps constanti animo perficere, ratio vitæ civilis jubet. *Renat. des Cartes Princ. Phil. P. I. n. 3.* Nec sane alio, nisi hoc sensu, de rebus nempe indifferentibus, accepta vera sunt verba *Grotii*, cum in *Tr. d. J. B. & P. L. II. cap. 23. §. 5.* ait: *Accidere autem in multis controversiis potest, ut ab utraqve parte probabilia se ostendant argumenta, sive intrinseca, sive ab aliorum auctoritate. Id cum accidit, si res mediocres sunt, de qvibus agitur, videtur vitio carere posse electio, in utramvis partem ceciderit.* Nam si de eo deliberatio incidat, utrum actio suscipienda bona, an mala sit, peccandi periculo se exponit, qvi cæco impetu in alterutram partem ruit; cum nunqvam sane moralitas alicujus actionis adeo difficilis sit, qvin ex genuinis principiis definiri qveat.

§. 12. Qvid vero, si occurrant duo mala moralia, qvorum utrumqve declinari non possit? Ubi existimo, ejusmodi casum,

ubi aliqvod malum in genere morum tale necessario perpetrandum sit, evenire haud posse; videtur autem id fieri in collisione duorum præceptorum Juris Naturæ; ubi tamen unum vim alterius ita exhauriet, ut, qvod extra eam collisionem peccatum fuisset, jam desinat vitiosum esse. Ita in violento aggressore cum cæde repellendo præceptum affirmativum: *Vitæ corporisqve tui rationem habeto*, colliditur cum negativo: *Proximum ne lædito;* Et vero expeditum est, hoc casu posterius præceptum vim suam amittere; neqve erit ejusmodi cædes jam peccatum; qvia negativum illud præceptum ad talem necessitatis casum plane non pertinet.

§. 13. *Conscientiæ dubiæ* affinis est *Scrupulosa*, qvando judicium de eo, qvod agendum, vel omittendum, non est satis firmum, & sibi constans, sed cum qvadam animi fluctuatione & formidine conjunctum. Qvi scrupuli vel aliqvid in recessu habent; & actio erit suspendenda, donec exemti fuerint; vel inanes & vani sunt, ex molli qvadam superstitione profecti; & dispellendi negligendiqve veniunt. Firmi enim atqve constantis animi oportet esse, qvi in agendo nullos inanes scrupulos moretur; sed recte sibi conscius plana pro-

progrediatur via, & nec ad dextram inclinet, neqve in siniſtram deflectat.

§. 14. Sunt vero haud pauca, qvæ ſuffuſa qvaſi caligine intercipere genuinum intellectus judicium ſolent. Et qvidem cum in intellectu non eſt ſimplex veri abſentia; ſed præterea poſitiva falſi apprehenſio, tum in *errore* hærere dicitur; isqve dividi ſolet in *vincibilem*, qvem qvis ſua culpa contraxit, & *invincibilem*, in qvo qvis absqve ſua culpa verſatur. Ita ſi qvis ſervum alienum pro ſuo feriat; venator hominem pro fera ſternat; patrem aliqvis, eum hoſtem credens, occidat; hi errores vinci plerumqve poſſunt; utut evenire qvandoqve circumſtantiæ qveant, qvibus morali æſtimatione ſint invincibiles. Contra hominem ignotum, ſed inſontem tamen, nocte concubia in ædibus alienis deprehenſum pro fure tractare; fæminam honeſtam in loco infami inter ſceleratos homines repertam pro meretrice in carcerem abſtrahere; innocentem, qvem acta & probata urgent, condemnare; ea plerumqve ex errore moraliter invincibili contingunt.

§. 15. Dixi *moraliter*; Qvamvis enim nullus allegari poſſit error, qvi in ſe & ſua natura abſolute ſit invincibilis; id tamen ſæpe, uti memo-

memorata exempla ostendunt, accidit secundum æstimationem moralem h.e. ut qvis errorem, adhibita qvamvis ea cura, qvam vitæ communis ratio fert, evitare non possit. Circa præcepta vero morum error ejusmodi invincibilis non solum iis non obrepit, qvibus rationis lumen excolere, & vitam ad honestatem componere cordi est; sed nulli omnino homini maturæ ætatis, sanæqve mentis; saltem qvoad præcepta generalia. Sive enim illa juris naturalis sint, sive positivi; utroqve casu, si debita cura adhibeatur, cuiqve sufficienter innotescunt, & per necessariam consecutionem error invincibilis locum in iis haud invenit. Nam capita Juris N. perspicua sunt, & omnibus obvia; legem autem positivam qvi sancit; sive Deus is sit, sive legislator humanus, id omni cura efficere solet, ut sufficienter ea promulgetur, & ad omnium, qvos obligare debet, notitiam perveniat; ut circa eam sine stupore & crassa negligentia, cum qva stare error invincibilis non potest, errari neqveat. Secus autem longe se res habet in factis singularibus; cum enim illa a cujusqve individui mero arbitrio, & obligare non valente, proficiscantur; inde circa eadem facilis est in errorem lapsus, qvi proinde regulariter imputari

tari non debet. In Foro qvoqve Civili error circa universalia commissus regulariter veniam non meretur; qvæ tamen circa alienum factum, ejusqve singulares circumstantias errantibus concedi solet.

§. 16. Enimvero si in errore vincibili conscientia versetur circa rem malam, qvamvis ab objecto, qvod agens intenderat, aberratum sit, actio tamen vitiosa manet; ut si qvis inter tenebras inimicum suum obtruncaturus per errorem in alienum jugulum inciderit. Sic pro mero stupratore habendus non est, qvi cum conjugata, qvam solutam esse putabat, rem habuit. Imo etiamsi actio, qvam qvis suscepit, cum lege materialiter conveniat; si tamen patrator sibi persvaserit, eam esse injustam, peccatum committit. Utut enim ipsi actionis exercitio nullum vitium adhæreat; prava tamen agentis intentio extra culpam posita haud est. Ut si qvis existimet, invito se Domino rem ejus in suam utilitatem convertere, qva tamen ejus voluntate utitur; aut se per actionem aliqvam commodum inimici intervertere, qvod tamen revera promovet. Sic non longe ab adulterii crimine abest, qvi, cum vetitos amplexus qværeret, in propriam uxorem incidit. Pari modo peccat, qvi secundum ejusmodi conscientiam

tiam circa rem malam versantem agit. Hoc casu enim actio revera aberrat a lege; & agens genuinam ejus dispositionem cognoscere poterat, & debebat. Sic frustra errorem, qvod hoc licere existimasset, allegat civis, qvi illatas sibi injurias privata vindicta ultus est. Sic nihil ad furis titulum illi deest, qvi urgente fame, qvam Magistratus auxilio levare poterat, res alienas contrectavit; etiamsi hunc casum necessitatis a lege exemtum falso crediderit.

§. 17. Huc pertinet regula, qvam vulgo *Moralistæ* tradunt; qvod peccet, tam qvi secundum, qvam qvi contra conscientiam in errore vincibili hærentem facit. Qvæ regula tamen, ut ex hactenus dictis liqvet, tum demum locum tuetur, qvando error circa rem malam versatur. Secus enim est, si concernat rem in se indifferentem, h. e. lege nec præceptam, nec vetitam. Hoc enim casu peccat qvis tantum, si contra conscientiam agat; non, si secundum eam agat. Nam si qvis actionem indifferentem necessario patrandam esse, falso sibi persvaserit, eamqve susceperit, non peccat; cum ejusmodi errori nullum vitium morale adhæreat. At si, cum talem de actione opinionem foveret, eandem tamen omisit; saltem proæresis & prava intentio facit, ut agens a peccato im-

immunis haud sit. Sic peccat, qvi promiscue ciborum genera usurpat; cum eorum usum lege definitum esse sibi persvaserit. Sic qvi existimat, qvod agendum ipsi injungitur, injustum esse, peccat, si continuo ad actionem provolet, nec prius falsam persvasionem exuat. add. *Grot. d. l. B. & P. L. II. C. 23. §. 2. & C. 26. §. 3. n. 5.*

§. 18. Neqve aliud circa errorem in objecto actionis pravæ commissum obtinet in Civili foro. Ita recte injuriarum actionem ei intento, qvi mihi, cum ipsi ignotus essem, per errorem injuriam fecit; neqve prodest ipsi ignorantiæ exceptio; cum utrobiqve eadem animi malitia occurrat. *l. 18. §. 3. ff. d. Injur.* Facit enim qvis hoc casu injuriam, etiamsi circa personam, cui facit, erret. *l. 3. §. 2. in fin. ff. eod.* Et voluntatem in maleficiis, non exitum spectari paret *l. 14. ff. ad L. Cornel. d. Sicar.* Qvi vero, cum malam actionem intenderet, in licitum objectum per errorem incidit, in foro humano puniri haud solet; saltem non eo rigore, qvi circa actionem ab ipso intentam adhibendus erat; qvemadmodum in eum, qvi adulterium commissurus in propriam uxorem inerravit, pœna adulterii haud statuitur; imo prava illa destinatio, animiqve malitia fere im-

impunita in foro Civili manet; præsertim cum raro de ea certo constare possit.

§. 19. Absentia cognitionis simplex vocatur *ignorantia*. Hæc duplici modo considerari potest; vel ratione *influxus in actionem*, vel intuitu *originis*. Illo respectu ignorantia alia est *efficax*, alia *concomitans*. *Efficax ignorantia* dicitur, a qva, tanqvam fonte suo, actio procedit; ut, si ignorantia abfuisset, actio non fuisset suscepta. Ita si qvis arborem cædendo hominem, qvem præterire ignorabat, occiderit; aut venator feram, emisso jaculo, verberaturus socium ex dumetis forte erumpentem trajecerit; ignorantia efficax est, saltem præsumtive, h. e. ita comparata, ut, si abfuisset, actio patrata non esset. Et ex hac ignorantia qvicqvid commissum est, patratori imputari neqvit; nisi per aliqvam ejus culpam ignorantia contracta sit; de qvo in capite seqventi. *Ignorantia* vero *concomitans* dicitur, qvæ etiamsi abfuisset, actio tamen nihilosecius fuisset suscepta; qvæve proinde simpliciter actionem comitatur. Utsi qvis, emisso telo, inimicum suum ignorans feriat, cujus tamen occidendi cupiditate jamdudum æstuaverat. Item si loco uxoris inter tenebras aliena se fæmina ignoranti subjecerit, cujus tamen amplexus ille omnibus votis expetie-

petierat. Et tale factum proprie dicitur *ab ignorante* fieri; qvod autem ex ignorantia efficaci procedit, *ex ignorantia* simpliciter. *Pufend. Elem. Jurispr. Un. L. II. O. I. §. 9.* Qvamvis autem ignorantia concomitans animi malitiam, pravumqve affectum arguat; naturam tamen actionum haud immutat; qvemadmodum priori casu homicidium nonnisi pro fortuito reputari potest; & in posteriori exemplo proprie adulter non erit, qvi alienæ libidini mulcendæ operam ignorans dedit.

§. 20. Ratione originis ignorantiæ divisio abit in *Voluntariam*, *& Involuntariam*. *Illa* dicitur, qvæ alicui ex propria culpa, & hinc qvasi volenti obrepsit; qvando qvis nempe ignorat, qvod scire poterat, & debebat. *Hæc* vero dicitur, qvæ citra alicujus culpam est contracta; cum qvis ignorat ea, qvæ scire nec poterat, nec tenebatur. Audit hæc alias *invincibilis*, & *antecedens*; uti illa vocatur *vincibilis*, & *consequens*. *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. III. §. 10.*

§. 21. Præterea *ignorantia invincibilis* talis est vel *in se*, *sed non in sua causa*; vel *in se*, *& in sua causa simul*. Illa dicitur, qvam qvis in ipso qvidem actionis exercitio non potest

exuere; culpa tamen agentis contracta est. Talis in eo est, qvi, mente per ebrietatem in exilium acta, cæco impetu & ex ignorantia delinqvit; nam utiqve in culpa est, qvod in talem ignorantiam inciderit. Qvamvis non tam plene imputari qveat hoc casu actio, qvam si ex certa scientia, destinatoqve consilio eandem suscepisset. Ignorantia enim ejusmodi cum vitio qvidem est conjuncta; revera tamen influxum in actionem præstitit, ut, si abfuisset, eadem omissa esset. *Ignorantia invincibilis in se, & in sua causa* dicitur, qvæ neqve ante actionem dispelli potuit, & citra culpam antegressam agenti obrepsit.

§. 22. Deniqve dividi *ignorantia* solet in ignorantiam *universalium* seu *juris*, & *singularium* seu *facti*. Ubi notandum, ignorantiam juris regulariter esse vincibilem. Nam qvi vivendi regulas alteri præscribit, is etiam operam dare solet, ut eidem sufficienter innotescant; adeoqve in talem ignorantiam non facile qvis citra culpam suam incidit. Ex qvo consequitur, violatores legum frustra ad earundem ignorantiam confugere, cum eas scire potuerunt, ac debuerunt. Neqve enim supinam ejusmodi negligen-

gentiam ferri oportet. Secus autem est circa ignorantiam singularium. Facta enim, eorumqve peculiares circumstantiæ prudentissimum qvemqve fallere qveunt. Unde, nisi argui aliqva agentis culpa possit, ejusmodi ignorantia imputanda ipsi haud erit. add. *Arist. Nic. II. c. I.*

§. 23. Ex his petenda ratio eorum, qvæ de ignorantia *Juris* & *facti* interpretes Juris Romani tradunt. Nam Juris Naturalis & Gentium qvidem ignorantia in foro qvoqve Civili omnibus, etiam rusticis, & fœminis obest. *l. 2. C. d. in jus voc. l. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. d. adult.* Circa ignorantiam Juris Civilis distingvi solet; utrum agatur de lucro captando, an de damno vitando. Ibi Juris ignorantia itidem obest, nisi qvod certis personis beneficio restitutionis in integrum leges consulant. vid. *l. 8. ff. d. Jur. & fact. ignor. l. II. C. eod. l. 3. §. 2. ff. ad Sct. Maced. Huber. in Præl. ad Pand. tit. d. J. & f. ignor. p. 2.* Secus autem est, qvando per ignorantiam juris, præsertim subtilioris, nullum alterius juri qvæsito detrimentum affertur; ipse vero qvis de damno vitando certat; eo enim casu ad excusationem ignorantia juris valet. *l. 7. l. 8. ff. d. Jur.*

& fact. ignor. Præ cæteris vero jura, præsertim haud vulgaria, ignorare licet *militibus*, *rusticis*, *minoribus*, ut & *fœminis* in certis causis. Idqve æqvitate ita svadente; qvod harum personarum conditio non patitur, ut legum, præcipue cum earum multitudine civitas laborat, pleniorem sibi cognitionem comparent. Nam si aliqvam earum negligentiam circumstantiæ evincant, ut puta si ad manum fuerint peritiores, qvorum uti auxilio poterant, ipsis qvoqve parcius subvenitur. vid. *l. 9. ff. d. Jur. & fact. ign.* *Ignorantia* vero, in qvam qvis circa *facta aliena* incidit, & præsumitur in foro Civili, nec unqvam nocet, nisi affectata, aut nimis supina fuerit. *l. 2. 6. & 9. ff. eod. l. ult. §. 1. ff. pro suo.*

§. 24. Progredimur ad alterum actionum humanarum principium, nempe *Voluntatem*, cujus admiranda qvædam mobilitas, & amplitudo est. Definimus autem eam, qvod sit altera animæ rationalis facultas, per qvam homo, qvæ cognita sunt ab intellectu, appetit, vel aversatur, atqve ad agendum inferiores facultates excitat. Exerit se autem *Voluntas* per duas facultates alias, qvarum una

spon-

ſpontaneitas audit; altera *libertas*. Illa dicitur, per qvam voluntas ſe intrinſeco velut impulſu movet ad appetendum, vel fugiendum objectum ab intellectu oſtenſum. Et hæc ſpontaneitas non ſolum pertinet ad actiones voluntarias ſimpliciter tales; ſed etiam ad *mixtas*. Hæ autem vocantur, cum qvis ad evitandum malum, ſive vere, ſive apparenter majus, minus eligit. Certe enim, propoſitis ejusmodi malis, in arbitrio voluntatis eſt, ad utram ſe partem convertere velit. Ubi igitur, expenſis circumſtantiis, ad alterutram ſe determinat; non ex interna neceſſitate, ſed utiqve ſponte agit; qvippe pro præſenti ſtatu & conditione voluntas majus malum minori redimere cupit.

§. 25. Prodit autem ſe ſpontaneitas voluntatis per actus duplices, *elicitos*, & *imperatos*. Illi dicuntur actus voluntatis immanentes, qvi a voluntate immediate orti in eadem recipiuntur. Et in hos actus abſolutum imperium obtinet voluntas. Nulla enim vi adigi ea poteſt, ut velit aliqvid intrinſece, qvod ipſi non convenire intellectus judicat. *Actus imperati* dicuntur, qvos voluntas mediate, per facultates nimirum inferiores, v.

gr. locomotivam, producit. Qvi actus ſimpliciter ſpectati, ut meri inferiorum facultatum motus, a coactione haudqvaqvam ſunt immunes; qvod experientia qvotidiana comprobat. Cæterum *actus eliciti* alii circa *finem*, alii circa *media* ad eundem perveniendi occupantur. Illius generis tres ſunt: *Volitio*, *intentio*, *fruitio*. Hujus totidem: *Conſenſus*, *electio*, & *uſus*. *Volitio* eſt actus ſimplicis complacentiæ, qvo voluntas ſupliciter fertur in finem, non habito ad circumſtantias reſpectu. *Intentio* dicitur, qvando voluntas efficaciter in finem fertur, eumqve per certa media acqvirere cupit. *Fruitio* eſt voluptas & delectatio, qvam ex fine acqviſito voluntas percipit. Per *conſenſum* approbat voluntas media, qvibus finis intentus obtineri poteſt; *electio* eadem determinat, & *Uſus* applicat. *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. IV. §. 1. in fin.*

§. 26. Præterea inſignis qvædam *libertas Voluntatem* comitatur; qvæ eſt vel *contrarietatis*, ut vulgo dicunt, per qvam ex pluribus objectis hoc vel illud voluntas eligere valet; vel *contradictionis* ſeu *exercitii*, per qvam ad actionem ſuſcipiendam ſe determinare

nare, & ab ejus exercitio abstinere potest; vel deniqve *modi*, qvæ efficit, ne uniformiter seu uno eodemqve modo voluntas operari cogatur.

§. 27. Cæterum de spontaneitate observandum, eam solam efficere, ut actio alicui, saltem in Foro Civili, imputari qveat. Nam illos motus peccaminosos, qvi etiam citra hominis voluntatem suboriuntur, alius Disciplinæ est excutere. In foro autem externo a nemine ullius actionis ratio exigi potest, circa qvam nihil plane spontaneitatis ipsi fuit relictum. Qvare eo nomine præcipue actionum suarum auctor homo est, qvod ipsius voluntas ad uniformem qvendam agendi modum determinata haud est, sed suæ libertati ita relicta, ut nunqvam ad actionem, qvæ qvidem agenti imputetur, suscipiendam se moveat, qvin converti in partem contrariam potuerit. Et hæc est insignis illa voluntatis *indifferentia*, qvam fuse persequitur *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. IV. §. 3. seq.*

§. 28. Neqve vero qvicqvam contra hanc voluntatis indifferentiam facit, qvod ea semper in bonum propendere, a malo autem abhorrere videatur. Qvod ut rectius

intelligatur, notandum, bonum, scilicet *Naturale*, Metaphysico & Morali contradistinctum, posse dupliciter considerari; vel in genere, vel in specie, seu qvatenus in determinato aliqvo objecto occurrit. *Bonum in genere* hoc loco dicimus, qvicqvid homo sibi congruere, atqve ad sui conservationem, & perfectionem facere judicat; *malum* autem, qvod sibi non congruere existimat. Jam utiqve largiendum est, circa bonum & malum ita in genere spectatum nihil indifferentiæ homini relictum esse, sed semper eum ferri in bonum in genere, & malum contra aversari. Cum enim cuilibet tenerrimus sui amor sit insitus, & ardentissima se conservandi, tuendiqve cupiditas; manifestum est, non posse non hominem semper appetere, qvod in genere sibi convenire & prodesse, atqve ab eo magnopere abhorrere, qvod incongruum suæ naturæ judicat. Aliud dicendum est de bonis particularibus. Qvia enim hæc fere nunqvam veluti pura & simplicia apparent, sed plerumqve speciem alicujus mali sibi adjunctam habent, inde persæpe evenit, ut homo, cum non recte expendit rationem boni & mali, qvæ in objecto occurrit, feratur in aliqvid,

aliqvid, tanqvam bonum, qvod ipsi maxime disconvenit, & detrimentum allaturum est. Et hinc admiranda illa voluntatum humanarum, studiorumqve diversitas; dum omnes ad bonum suum qværendum, sed modis longe diversissimis feruntur. Unde etiam *bonum*, prout diversas qvasi partes in homine afficit, varium est; nimirum vel *decorum*, qvod hominis opinionem, qvam de se ipso habet, afficit; vel *utile*, qvod ad studium se conservandi refertur; vel *jucundum*, qvod svaviter ad sensus exteriores affluit.

§. 29. Neqve vero hominis Voluntas tam laxa semper libertate fruitur, ut qvasi in æqvilibrio posita ad alterutram deinde partem se determinet. Multa persæpe sunt, qvæ veluti pondere qvodam inflectunt animum, atqve ad certarum actionum vel exercitium, vel omissionem stimulant. Eminet vero inter ea *peculiaris ingenii dispositio & habitus*, qvem regionis genius, & circumfusus aër, item ætas, alimenta, ratioqve vivendi alte ingenerant. Ita qvi sangvineum temperamentum nacti sint, fere turbulento animo ad res novandas plerumqve propendent, neqve diu intra illud agendi qviescendiqve confinium sese

continent, in qvo deliberandum, qvem exitum res sint habituræ. Contra qvibus atram bilem circa præcordia natura stipavit, ii fere tardi, atqve inutili languore hærentes ad actionem expediendam ægre sese applicant; eam præsertim, qvam periculum aliqvod comitaturum videtur. Atqve hæc inclinationum naturalium varieras non tantum in singulis hominibus, sed etiam integris nationibus conspicitur. Ecqvis enim nescit, etiam vulgo jactari, Italos præ cæteris libidinum stimulis uri, ad potum largum proniores Germanos, Gallis insitam levitatem, tarditatem Hispanis? vid. *Barclaji Icon Anim. Charron de la Sageſſe l. 1. c. 42.* Neqve tamen hæc ingenii dispositio in eam vim evalescere potest, ut liberum voluntati arbitrium omnino eripiat. Semper enim licebit urgenti genio repugnare, &, tanqvam ruptis carceribus, in liberiorem se agendi campum asserere. Qvod ni ita esset, nemo citra summam iniqvitatem reus agi posset criminis, cujus commissio a naturali qvadam inclinatione profecta.

§. 30. Præterea affectus motusqve animi maximum habent robur inclinandi

nandi hominem ad certum actionum genus. Prout enim affectus per objecta convenientibus organis recepta excitantur, ita veluti laqveos voluntati injiciunt, irretitumqve propellunt magna vi ad comparandum bonum, ſub cujus ſpecie exorti ſunt. Enimvero nec horum poteſt eſſe tam durum jugum, qvin, eo excuſſo, in diverſam liceat partem tendere, & meliora ſeqvi. Qvod de actibus ſcilicet externis intelligendum, in qvos pœna in foro humano conſtituta eſt. Primi euim illi motus, qvi & ipſi in foro Divino peccaminoſi ſunt, evitari non ſemper qveunt; eorumqve origo ab originali peccato præcipue dependet; qvod ab homine ſibi relicto ex ſolo naturæ lumine cognoſci neqvit. Unde dubito, utrum ſatis veritati litet *Carteſius*, cum ſtatuit, *lib. d. Paſſionibus art. 50. poſſe acqviri imperium abſolutiſſimum in omnes paſſiones, ſi ſat induſtriæ adhibeatur ad eas inſtituendas, & dirigendas.* add. *Ejusdem Diſſertat. d. Methodo p. m. 23. ſeq.* Cum enim fons ejusmodi motuum obſtrui, & radix evelli nullo modo poſſit; nec herbæ inde propullulantes qveunt. Et hæc involuntaria illa delicta ſunt, qvibus omnes homines, etiam renatos, obnoxios

noxios esse, fide Christiana discimus. add. *Rich. Cumberland. d. LL. Nat. c. 2. §. 26. seq.* Cujusmodi motus tamen, qvatenus in actus externos haud erumpunt, in foro Civili non attenduntur.

§. 31. Qvod vero tantum virium homini superst, ut stimulantium affectuum fervorem citra peccatum, qvod in foro Civili puniri mereatur, veluti deplere possit; & ex contemplatione naturæ humanæ in universum liqvido constat, & asserendum utiqve est; qvia alias delictorum ex aliqvo affectu perpetratorum rationem nemo posci absqve summa iniqvitate posset; cum leges frustra ad factum impossibile præstandum adstringant. Sic igitur pœnam meretur, qvi fœminæ pudorem eripuit; qvamvis vel acerrimo amoris oestro, qvod reprimere poterat, & tenebatur, incitatum se esse dicat. Sic vanum homicidio prætextum qværit, qvi ad cædem inimici iræ impetu abreptus est; qvem ratione domare, & saltem intra actum externum sistere debebat. Sic nihil ad pœnam mitigandam facit, si fur inveterato erga dominum odio res ejus a se contrectatas dicat.

§. 32. Idem usu qvoqve fori servatur; ut ex-

ut excusatio ob solam affectuum vehementiam haud admittatur. Unde ira neqve ab homicidii, neqve alius delicti pœna ordinaria regulariter liberat. *Carpz. Pr. Crim. P. III. Qvæst. 147. n. 45. seq.* Nisi justa causa commoverit ad iram; ut si qvis violentum aggressorem, non omnino servatis justæ defensionis limitibus, cum cæde repulerit. Neqve enim hoc casu alii, qvam arbitrariæ pœnæ locus est. Imo qvandoqve factum plane impunitum manet; uti contingit in marito, qvi adulterum cum uxore in flagranti delicto comprehensum occidit. *l. 24. ff. ad L. Jul. d. adult. O. C. a. 142.* Præterea mitigationi locus erit, si ex circumstantiis evidenter appareat, furoris speciem habuisse iracundiam, mentemqve plane per eam alienatam fuisse. *Carpz. d. l. n. 60.* qvi tamen in §. *seq.* recte monet, ob difficultatem probationis rarissime pœnam ex hoc capite mitigari. Qvod præcipue in homicidio puniendo obtinet; unde in hoc difficillime a pœna ordinaria, ob præceptum Divinum, recedi solet. add. *O. C. a. 137.*

§. 33. Præterea acriter hominem ad cer-

certas actiones assidua earum repetitio seu *consvetudo* stimulat; ita ut prona voluntate homo in actum, præsente objecto, erumpat. Hujus tanta vis est, ut non citra rationem *altera natura* vulgato proverbio audiat. Qvo freqventius enim actus in aliqvo genere exercetur, eo promtior homo ad eundem suscipiendum redditur; ut inferiores facultates, veluti non expectato judicio intellectus, jussuqve voluntatis, in objectum ruant. Hujusmodi actus vero si sint lege vel præcepti, vel prohibiti, habitus iis respondentes virtutum, vitiorumqve nomen induunt, de qvibus passim Ethicorum vulgus.

§. 34. Notandum autem, qvod, qvantumvis etiam tales habitus proclivem ad certum actionum genus hominem effecerint; eæ tamen nihilosecius spontanearum numero censendæ sint. Neqve enim ulla potest esse tam inveterata, atqve pertinax consvetudo in homine, qvæ spontaneitatem tollat; qvin potius semper voluntati tantum supereſt virium, ut ad contrariam se partem convertere possit. Qvod qvamvis sæpe non sine magna difficultate fiat; neutiqvam tamen propterea malitia actionis minuitur; cum sibi impu-

imputare debeat, qvi per crebram exercitationem tantam peccandi proclivitatem sibi conciliavit. Sic ergo frustra maledicentiæ pœnam deprecatur, qvi assvetam injuriis, atqve ad calumniandum effusam lingvam gerit. Sic absurde perjurus criminis excusationem inde qværit, qvod inveterata consvetudine apud ipsum Numinis reverentia dudum exoleverit. Sic nihil de stupri fœditate decedit, qvod meretrix jam a pluribus viris lassata peccandi consvetudinem contraxit. Qvin sicuti virtutem freqvens exercitium commendat; ita vitii turpitudinem assidua repetitio augebit.

§. 35. Valide etiam ad certas actiones hominem impellit *ebrietas*, ex certis potulentorum generibus, aut fumis contracta. Hæc sangvine, spiritibusqve perturbatis lumen mentis debilitat, animiqve, ut dicam, oculos præstringit, ut ebrio parum ad furiosi nomen desit. vid. *c. 14. X. d. vit. & hon. cler.* Laxat autem præcipue ebrietas in homine libidinis, audaciæ, crudelitatis atqve temeritatis frena; qvibus cupiditatibus in eo statu qvocunqve modo satisfacere qværit. Cæterum interest qvoad effectum moralem, utrum omne

mne animi lumen ebrietate extinctum sit, an vero aliqvid reliqvum in ratione fecerit. Item utrum sponte, qvod plerumq; fit, ebrietas contracta sit, an alicui invito obrepserit. Nam qvando qvis tam extreme ebrius est, ut appareat, omnem ejus mentem in exilium actam esse, non tamen citra voluntatem ejus hoc factum sit, delictum in illo statu commissum recte qvidem propterea imputatur, qvod homo propria culpa in talem statum incidit; præsertim si ebrietatis apud se effectus cognitos habuerit; non tamen pari rigore imputationi locus erit, atqve si a sobrio, omnes facti circumstantias expendente, destinato consilio, perpetratum esset. Subest enim utiqve hic ignorantia in se involuntaria, qvamvis voluntaria in sua causa sit. Sic ergo magis peccat, qvi aliqvem dolo aggressus sciens & volens interfecit, qvam cujus ferrum per summam ebrietatem arreptum in amici viscera aberravit. Sic facilius contumelias ab extreme temulento in nos jactas concoqvimus, præsertim si eum alias bene erga nos affectum esse sciamus, qvam si qvis mentis suæ recte compos convitia sponte in nos effundat. Ubi vero etiam citra alicujus voluntatem ejusmodi ex-

di extrema ebrietas contracta est, utpote per violentiam, cui repellendæ qvis impar erat, liqvore infuso, actus ex ignorantia hoc casu in se & sua causa involuntaria commissus plane imputari non poterit; sed effectus potius redundabit in eos, qvi per vim ipsi rationis usum eripuerunt, & deinceps occasionem peccandi subministrarunt. Enimvero si qvis facinoris per ebrietatem patrati, reddita deinceps mente, nulla pœnitentia tangatur, sed lætetur potius, tale qvid a se commissum esse, non minori se crimine obstringit, qvam si deliberato animo ad facinus processisset; neqve is ullo prætextu pœnæ mitigationem recte exposcit.

§. 36. Sin autem ebrietas non plane mentem corruperit, sed tantum ex parte rationis usum interceperit, ita tamen, ut homini adhuc sufficiens ad dignoscenda objecta vis atqve facultas superfuerit; delictum in eo statu commissum non secus imputabitur, atqve si a plane sobrio patratum esset. Qvamvis enim non tanta proæresi, atqve tam intenso conatu agat, qvam si sobrius ad actionem procederet; satis tamen est, qvod superstes rationis usus ad cognitionem objecti, atqve

actionis ſuſcipiendæ ſuffecerit. Sic ergo remitti ſibi, vel mitigari pœnam non recte poſtulat, qvi titillanti libidini ebrius ſatisfecit; cujus ſtimulos ſaltem intra actus externos cohibendi ſat virium habuerat. Sic fruſtra ſe excuſat, qvi cum gravatam qvidem, at non plane ſopitam ebrietate mentem haberet, manus alteri violentas intulit. Idqve eo magis, ſi qvis in culpa ſit, qvod mentem ſibi per ebrietatem aliqvantum obfuſcaverit. Atqve hæc ita obtinent circa actiones morales ab ebrio ſuſceptas.

§. 37. De actionibus indifferentibus, ſive nec præceptis, nec prohibitis lege, adeoqve hominis arbitrio relictis, unicam notamus regulam, qvod, qvoties eousq; proceſſit ebrietas, ut homo, qvid ageret, liqvido dijudicare non potuerit, ejusmodi indifferens actio ab eo ſuſcepta deſtituatur illo effectu, qvem habitura erat, ſi deſtinato conſilio, atqve circumſtantiis recte ponderatis, patrata fuiſſet. Sic ergo, diſpulſa crapula, ſtare conrractu non tenetur, qvem qvis iniit, cum ejus mens ſepulta mero eſſet. Sic fidem matrimonii ſervari non recte poſtulat fæmina, qvam a madido, ſuiqve impote, captata occaſione, elicuit.

§. 38. Qvæ

§. 38. Qvæ modo dicta sunt de actionibus ab ebrio susceptis, ea presse usus fori Civilis seqvitur. Sic in puniendo delicto per ebrietatem commisso distingvitur, utrum ea fuerit extrema, qvæ omnem rationis usum abstulerit; an tantum modica. Illo casu ordinariæ pœnæ in crimen a lege statutæ locus haud est; adeo ut summe ebrius ne injuriarum qvidem teneatur; qvin impetu magis, qvam proposito & dolo jacta ab eo convitia præsumuntur; qvamvis arbitrariam pœnam pro modo admissi infligendam non effugiat, qvi per voluntariam temulentiam omnes animi sui vires oppressit. vid. *l. 6. §. 7. ff. d. Re milit. Carpzov. Pr. Crim. q. 146. n. 33. 34. Gail. L. II. Obs. 110. n. 24.* Hoc vero casu pœna ordinaria, v. gr. in homicidio capitalis, dictatur. vid. *Brunnem. Cent. 2. Dec. 21.* add. *Damh. in Prax. Rer. Cr. c. 84. n. 16.* Cui etiam tunc locus est, qvando qvis nulla animi vere pœnitentis signa sobrius deinceps ostendit, adeoqve ex post facto delictum veluti ratihabuit; *Menoch. d. Arbitr. Judic. L. 2. Cas. 326. n. 40.* item cum qvis ebrietatis effectus apud se abunde notos habuit. vid. *Carpz. d. l. n. 55. 56.* aut propositum delinqvendi, qvod

di, qvod jam ante adfuisse evidenter probari potest, ebrius tantum executus est. *Idem c. l. n. 56.* In actibus indifferentibus, qvos suo qvivis arbitrio suscipere vel omittere potest, dispositioui Juris Naturalis usus itidem stricte inhæret. Ita nemo adigitur, ut exsolvat se promissis, qvæ per summam ebrietatem dedit; aut contractus vel pacta, in eo statu inita, servet. vid. *Struv. S. I. C. Ex. VI. §. 37. ubi præj.*

§. 39. Qvæ hactenus adduximus, eo pertinent, ut constet, plerumqve homines physicam qvandam ad certum actionum genus propensionem habere, qvæ animo de actione suscipienda cogitanti veluti momentum aliqvod addat, & acri stimulo ad agendum propellat. Sed datur etiam, vel dari certe debet moralis ad agendum vergentia, qvæ ab *obligatione* venit. Hoc ipsum enim, qvod intelligit homo, exlegem sibi vitam agere haud licere, sed adstrictum se ad certam sibi præscriptam normam esse, movere ipsum versus eam partem, qvæ lege præcepta est, debet; qvamvis haud raro ea sit hominum perversitas, ut ipsum vinculum legis licentiam suscitet, & peccandi libidinem magis irritet.

§. 40. Qvemadmodum autem actiones

nes humanæ vel a voluntate proficiſcuntur, vel citra eam fiunt; ita earum diviſio abit in *voluntarias*, & *invitas*. Qvas actiones *voluntarias* dicamus, manifeſtum eſt; illas nimirum, qvæ a ſciente & volente patrantur. *Invitæ* autem ſeu *coactæ* dicuntur, qvæ citra voluntatis aſſenſum fiunt; qvando nimirum qvis membra ſua ad aliqvam actionem patrandam applicare cogitur per externum principium, cui reſiſti haud poteſt. Ubi apparet, in ejusmodi actionibus patratorem nudi inſtrumenti vicem obtinere, adeoqve effectum omnem in eum referendum eſſe, qvi agendi neceſſitatem attulit. Cujusmodi actus ſaltem in foro civili cenſentur omnes, qvi regulariter ſponte admitti haud ſolent, & a qvorum exercitio ſe abhorrere, corporis reluctantia, aut aliis externis ſignis qvis declaravit. Sic ergo non recte tibi imputabitur, ſi alius manum tuam violenter arreptam in tertii caput incuſſerit. Sic per vim ſtuprata fæmina nullum peccatum admiſit, ſed is, qvi eam ſuæ libidini ſervire coëgit. Et hæ ſunt actiones, qvæ proprie & preſſe hoc vocabulo ſumto *invitæ* dicuntur.

§. 41. In latiori vero & improprio ſenſu illæ qvoqve actiones *invitæ* audiunt, in qvarum

exercitium [voluntas ob præsentem tantum necessitatem consentit; cum alias extra talem statum valde easdem aversetur. Qvales actiones vulgo *nixtas*, ut supra §. 24. dictum, vocare solent. Luculenter autem apparet, eas veluti in confinio voluntariarum & proprie invitarum actionum constitutas esse; & hinc ab utrisqve participare. Cum voluntariis enim in hoc conveniunt, qvod, expensis difficultatibus, qvæ ab utraqve parte se offerunt, utiqve in eas, graviori necessitate urgente, voluntas humana pro præsenti conditione feratur, & e duobus malis hoc veluti minus eligendum decernat. Et hoc sensu recte vulgo dicitur: *Coactam voluntatem etiam voluntatem esse.* Ab *invitis* autem actionibus id habent mixtæ, qvod ad eas voluntatem nonnisi præsens necessitas impellit, citra qvam in easdem consensura haud esset. Unde etiam in ejusmodi actionibus imputatio vel in totum, vel saltem ex parte deficit, qvod extrinseca vis propemodum omnem proæresin excluserit. Sic violentum invasorem, qvamvis furore actum, & alias mihi amicum, licite etiam per extrema repello. Sic cædes a subdito jussu Principis peracta, huic, non illi, utpote nudo executori, imputanda. Sic etiam

etiam commiseration em meretur, qvæ metu gravis periculi, qvod statim repræsentare violator poterat, adacta libidinem alienam explevit. Qvod si vero actiones indifferentes, qvas exercere vel omittere in cujusvis arbitrio positum est, ex coactione suscipiantur, destituuntur effectu, si magnum inde præjudicium ad agentem redundaturum est, præsertim ubi ea sit negotii indoles, ut omnimodam in voluntate libertatem reqvirat. Alias enim integrum legislatori humano est, talem actum validum, an irritum, declarare velit.

§. 42. Leges qvoqve positivæ actionibus proprie invitis, ubi agens meri instrumenti rationem habet, effectum moralem nunqvam largiuntur. In cæteris actionibus improprie invitis, qvarum materia tamen moralis seu lege interdicta est, judicis arbitrio continetur, ut æstimet, qvousqve pœnam mereatur, qvi metu intentati alicujus periculi ad delinqvendum se compelli passus est. Actus autem indifferentes per metum gesti robur non habent, qvoties ad eorum validitatem consensum omnino liberum leges reqvirunt. Sic matrimonium metu contractum nullum est. *c. 15. X. d. sponsal.* Sic promissio dotis per vim

extorta nullam obligationem producit. *l. 21. §. 3. ff. Qvod met. cauſ. geſt.* Sin autem per qvamcunqve voluntatem robur iis conciliari leges velint, metus adhibitus firmitatem eorum non impedit. Ita ſi qvis metu coactus adierit hæreditatem, pro hærede declaratur in *l. 21. §. 5. ff. Qvod met. cauſ. geſt.* addita ratione, *qvod qvamvis, ſi liberum eſſet, noluiſſet, tamen coactus voluerit.* Illud a mera ſubtilitate Juris Civilis dependet, qvod in plerisqve negotiis metu contractis non ipſa obligatio perimatur, ſed tantum oriatur exceptio, per qvam actio ab altero intentata eliditur. vid. *tot. tit. ff. Qvod met. cauſ. geſt.*

§. 43. Ex iis, qvæ hactenus ſunt expoſita, facile jam conſtat, *Actionem voluntariam* a duobus principiis, *intellectu* & *voluntate*, procedere. Ex qvo apparet, non qvemvis motum ab hominis facultatibus provenientem hoc nomine venire, ſed eum tantum, qvi decreto voluntatis producitur. Qvod ſi vero actio ab homine patrata ſpectatur, ut ejus effectus agenti imputari poteſt, adeoqve cum lege præſcripta vel convenit, vel ab illa aberrat, dicitur peculiari vocabulo *humana*, ſeu *moralis*. Neqve enim inter actio-

actionem humanam & moralem ullum hic nobis discrimen intercedit. vid. *Pufendorf. Elem. Jurispr. Univ. L. I. def. 1. §. 1. sub fin. & Tr. d. J. N. & G. L. I. C. V. §. 1.*

§. 44. Luculentum vero est, duo complecti actionem humanam seu moralem, qvorum unum est velut *materiale*, alterum *formale*. *Materiale* actionis moralis est actus simpliciter consideratus, prout est motus per naturalem qvandam hominis facultatem, utputa sensitivam, locomotivam, productus. Qvo etiam ipsius voluntatis actus referuntur, qvatenus spectantur ut naturales effectus a voluntate, tanqvam potentia physica, procedentes. Item huc pertinent actiones ab aliis patratæ, qvatenus nostræ directioni subjacent; adeoqve etiam motus, qvi a brutis, & rebus vegetabilibus producuntur, nostramqve curam & directionem exposcunt. Et qvia non solum actus, sed etiam omissio homini qvandoqve recte imputatur; inde etiam hæc materiale actionum moralium constituit. Deniqve omnia, ad qvæ homo efficacirer concurrit, qvæqve adeo ipsi recte imputari possunt, ad materiale humanarum actionum referuntur. Hoc ipsum vero, per

qvod actionis effectus agenti imputari potest, qvodqve *imputativitatem* vocat *Pufendorfius*, formale actionis moralis absolvit, indeqve ipsum agens *causa moralis* denominari solet. Sic homicidii causa est, non solum, qvi ipse violentas alteri manus intulit, sed etiam qvi cædem per immissum ficarium patravit. Sic stupri causa moralis est, qvi ex lenocinio qvæstum facit. Sic agri sterilitatem luit, a qvo, cum posset & deberet, ubertas ejus per idoneam culturam haud laceſſita est.

Caput Secundum.

DE IMPUTATIONE ACTIONUM.

§. I.

UT indoles & ratio actionum moralium evidentius innotescat, distincte tradendum, qvæ actiones alicui in foro humano imputari qveant. Ubi primo generalis regula tenenda: *Qvod qvævis actio, qvam fieri vel omitti, penes aliqvem fuit, ipsi imputari qveat.* Nulla enim propior ratio reddi potest, cur alicui actio imputetur, qvam qvia ab ejus arbitrio pependit, utrum ea fieret, vel non fieret;

fieret; adeoqve pro ejus auctore haberi poteſt. Contra non citra ſummam iniqvitatem imputatur actio, circa qvam ſuſcipiendam vel omittendam nihil arbitrii & libertatis homini relictum fuit, ſeu ad qvam nulla ratione, neqve committendo, neqve omittendo concurrit. De qvo paulo diſtinctius egiſſe, operæ pretium fuerit.

§. 2. Primo igitur expeditum eſt, non recte homini imputari effectus naturales facultatum in ipſo exiſtentium, vel qvæcunqve naturaliter ipſi adſunt, aut deſunt; niſi qvatenus aliqvid circa ea induſtria, atqve cultura valet. Sic ergo nemini recte imputaveris celeritatem aut tarditatem ingenii, ſubtile mentis acumen, vel ſtuporem, memoriam tenacem & vegetam, aut labilem & imbecillam, aurium, oculorum, tactionum, cæterorumqve ſenſuum tam externorum, qvam internorum naturalem bonitatem vel infirmitatem. Sic qvod qvis corporis proceritate excelſior aliis & elatior eſt, qvod formam vultumqve erectiorem liberalis ipſi natura conceſſit, nullo præconio magnopere dignum eſt; qvemadmodum ex adverſo contemni non meretur, cui brevis ſtatura, facies depreſſa, aut membra

membra distorta naturaliter & citra culpam ipsius adsunt.

§. 3. Dico notanter: *citra culpam.* Qvatenus enim facto humano vires naturales auctæ, vel imminutæ sunt, imputationi utiqve locus erit. Sic laudi ducitur, si qvis naturalem ingenii abundantiam accedente cultura adjuverit, vel indefessa opera stuporem ab animo amolitus fuerit; uti contra haud iniqvum vituperium incurrit, qvi animi dotes incultu atqve socordia torpescere sinit. Sic etiam Patri exprobrari non potest, liberos pravos ab ipso genitos, nisi qvatenus eorum malitiæ indulgentem se præbuit, & mala educatione impietatem fovit.

§. 4. Præterea non recte homini imputantur actiones ab alio patratæ, nisi in easdem influxum præbuerit. Unde qvamvis alicujus directioni actiones alienæ subsint, si tamen, adhibita ab ipso diligentia moraliter possibili, nihilosecius contra normam præscriptam aliqvid admissum sit, imputari eidem haud poterit, sed effectus moralis susceptæ actionis unice in patratorem recidet. Dixi: *moraliter possibili.* Neqve enim ratio vitæ civilis patitur, ut qvis alterius tergo velut inhæreat,

hæreat, omnesqve ejus motus & actiones observet. Itaqve τὸ *possibile* cum aliqva latitudine intelligendum, ut ad indolem cujusqve negotii, rationemqve civilis vitæ respectum habeat. Sic ergo Domino non recte imputatur, si ipso insciente ejus servus aliqvem injuria affecerit. Sic etiam pœnas non dabit pater propter flagitium a filio perpetratum, qvod ne admitteretur, penes ipsum haud stetit.

§. 5. Hinc regulæ in foro Civili invaluerunt: *Factum alienum nemo præstare tenetur; Delicta debent tenere suos autores.* vid. *l. un. C. Ne ux. pro mar.* Qvæ omnia ex dictis ita limitanda veniunt: Nisi qvis ad alienum ejusmodi factum vel committendo, vel omittendo efficaciter concurrerit. Exempla passim Jura Civilia suggerunt.

§. 6. Pari ratione effectus rerum naturalium & vegetabilium, qvatenus humanæ directioni haud subsunt, non recte imputantur. Neqve enim penes hominem est, fieri vel non fieri illa, qvæ ex naturali necessitate dependent. Sic ergo turbulentæ tempestates, procellæ, fulmina, turbines, tonitrua inputari non possunt; Item nix immodæa

da, ſolis fervor, inundationes, terræ motus; ut mireris Mexicanorum ſtultitiam, qvibus Reges ſub auſpicium imperii promittere tenebantur pluvias, qvandocunqve opus foret, ſolis convenientem ortum & occaſum, terræqve & frugum ubertatem. vid. *Pufend. d. l. N. & G. L. I. §. 6.* Qvo pertinent etiam morbi, & interitus animalium ſervorumqve, damnum a beſtiis ſine culpa noſtra datum, vel etiam hoſtium incurſione illatum. Secus eſt, ſi qvis committendo, vel omittendo in talia influxum præbuerit; puta ſi vis rerum naturalium hominis facto elicita, vel impedita eſt. Sic ergo non qvidem incendium ex fulmine aut alio caſu fortuito ortum alicui imputari poteſt, ſed ſi qvis materiem ad exandeſcendum facilem ædibus deinceps exuſtis ſubjecerit; recte ad damni reparationem adſtringitur; & contra laudem meretur, qvi celeri remedio vim ignis latius ſerpentem compreſſit. Sic non qvæcunqve ſterilitas agri, ſed ex negligentia proveniens colono imputari poteſt.

§. 7. Ex dictis dependet ratio eorum, qvæ in Jure Civili de caſu fortuito traduntur. Neqve enim is, ſi citra culpam contigerit, in ullo

ullo contractu vel negotio præstandus venit; sed res qvælibet suo Domino perit. *l. 23. ff. d. R. l. l. 23. ff. d. P. O. l. 9. C. d. pignor. act.* nisi qvis debitor rei singularis fuerit; eo enim casu non Domino, sed illi, cui debetur, res perit. *l. 5. ff. d. Reb. cred.* sicuti cum res empta casu mere fortuito ante traditionem periit, non venditoris, sed emptoris est damnum. *a. l. 10. ff. d. R. I.* add. *l. 5. §. fin. d. resc. vend.* Qvod si vero casus a præcedente culpa, qvam præstari indoles negotii desiderat, provenerit, damnum eo datum resarciendum est. *l. 5. §. 4. & 7. ff. commod.* Idem obtinet, si mora casum præcesserit, neq; alias interitura res fuerit. *l. 8. §. 6. ff. d. precar. c. un. X. d. commod. l. 22. ff. d. Usur. l. 14. §. 1. ff. depos. Struv. Jurispr. R. G. L. III. T. 3. §. 23.* Præterea qvandoqve damnum casu fortuito illatum resarciendum est; si nempe omne circa rem periculum peculiari conventione qvis susceperit. Hæc enim dat legem contractui. *l. 23. ff. d. R. I.* add. *l. 6. C. d. pign. act. l. 7. §. 15. d. pact. l. 9. §. 2. ff. loc. c. un. X. d. commod.* & sibi imputet, qvi se ultro ad tale damnum rependendum adstrinxit. vid. *Pufendorf. d. l. N. & G. L. I. C. V. §. 5.* Neqve paciscentes solum de casibus

casibus simpliciter fortuitis, sed etiam insolitis sensisse censentur. *a. l. 78. §. f. ff. d. contrah. empt. l. 15. §. 2. ff. loc.* ad insolitissimos autem, qvos vocant, judicis arbitrio definiendos extendendum in dubio non erit. *a. l. 4. §. 4. ff. Si qvis caut. in jud.* add. *l. 1. §. f. ff. d. Jur. delib.*

§. 8. Præterea in aprico est, & ex superioribus abunde constat, actiones proprie invitas imputari non posse. Cum enim penes aliqvem non sit, tale qvid fieri, vel non fieri, sed meri tantummodo objecti, vel instrumenti vicem subeat, nulla ratio apparet, cur imputationi hic locus esse possit; non magis sane, qvam incudi, aut malleo imputari potest, qvod faber eodem ad pravam actionem abusus est. Cujus rei exempla repeti ex superioribus qveunt. Sic qvi ex edito loco citra culpam suam ab aliqvo præcipitatus prætereuntem afflixit, rationem læsionis non ipse, sed qvi dejecit, poscendus est. Sic fæminæ non recte exprobratur, qvod qvis per vim, qvam declinare ipsa non poterat, corpori ejus illusit, suæqve libidini eam pro instrumento servire coëgit; nisi hoc casu fæmina in culpa hæreat, qvod in præsenti turpe

turpe ludibrium a corpore suo amoliri non possit; utputa si in eum se locum sciens contulerit, ubi pudori periculum imminere prævidit, vel saltem assequi conjectura probabili potuit. Idem obtinet, si cui sub comminatione gravissimi mali, qvod statim repræsentari potest, nuda executio actus injungatur, qvem alias extra ejusmodi periculum constitutus valde refugeret. Effectus enim morales talis actus non in patratorem redundant, sed eum, qvi suo mandato obseqvi eundem coegit; ut si princeps metu præsentissimi periculi satellitem ad innocentis hominis cædem peragendam adigat; qvippe nudi ministri & executoris partes obit, unde supplicii injustitia ipsi neqvaqvam imputari poterit. Qvod tamen restringendum est ad eos actus, ubi simplex executio omni peccato vacat.

§. 9. Unde dubito, utrum recte habeant, qvæ tradit *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. V. 9.* cum ait: *Fatendum tamen est, executionem qvorundam actuum ita esse gravem, aut fœdam, ut generosum habeatur, mori malle, qvam talibus patrandis sua membra accommodare, licet culpa in alio sit hæsura. Et exempli loco potest esse, si qvis jubeatur matri stuprum*

inferre. Sane euim exemplum hoc ab ipso adductum ostendit, non solum generosum esse, mortem potius tali casu strenue subire, qvam turpissimo actu sua membra fœdare, sed etiam ejusmodi executionem cum vitio fore conjunctam; sic ut non in solo mandante, & vim adhibente culpa sit hæsura. Non enim apparet, qvomodo hujus generis actus exerceri eo modo qveant, ut tamen ad animum labes nihil qvicqvam penetret. Qvemadmodum etiam multum interesse puto, utrum fœmina, cum stuprum violentum patitur, corporis reluctantia, aliisqve externis signis animi aversationem ostendat, an metu propositi primo periculi victa tandem violatori corpus patienter subjecerit; qvo casu commiserationem qvidem meretur, qvæ jactura corporalis pudoris præsentissimum discrimen redemit; ab omni tamen vitio propter istum voluntatis consensum actus non erit immunis; cum sane fœmina consentiens, utut coacte, non amplius nudi instrumenti rationem obtineat.

§. 10. Alia sane ratio est in eo, qvi coactus a Principe cædis injunctæ executionem suscepit. Pro hoc enim præter incumbentem neces-

neceſſitatem militat eriam illud, qvod ipſe obligatus non ſit, ut exqvirat prolixe rationes exeqvendi actus, ejusqve juſtitiam aut iniqvitatem examinet; qvale judicium circa Imperantium actus ſubditi ſibi arrogare non debent. Neqve enim affirmare auſim, cædem a privato alteri, qvamvis ſub comminatione præſentiſſimæ mortis injunctam perpetrari ab hoc ſine ullo peccato poſſe. Qvin potius qvævis pericula adeunda erunt, qvam ſe ad tale facinus homo commoveri patiatur. In exemplo ſane de ſtupro matri inferendo ipſemet *Pufendorfius* agnoſcere videtur, absqve vitio committi illud non poſſe, cum in ſubſeqventibus verba *Ariſtotelis* ad hujus generis actuum executionem referenda non eſſe monet.

§. 11. Qvousqve ignorantia liberet ab imputatione, ex ſuperioribus facile colligitur. Nam ſi ignorantia, ex qva actio proceſſit, ſaltem moraliter invincibilis fuerit, omnem imputationem excludit; qvia nulla, qvæ in agentem conferri qveat, hoc caſu culpa appareret; modo fuerit ignorantia non ſolum in ſe, ſed & in ſua cauſa involuntaria, & invincibilis. Nam ſi qvis pro præſenti qvidem conditione in ignorantia hæreat, in culpa vero ſit,

qvare in talem ſtatum devenerit, ab imputatione plane liber haud eſt. Similiter univerſalium, ſeu legum ignorantia qvi lapſus eſt, nullo prætextu ſuo facto excuſationem obtendere poteſt; cum hæc nimis craſſa ſit ignorantia, qvæqve nonniſi vincibilis eſſe poſſit. Qvo loco ea repetenda veniunt, qvæ in ſuperioribus de ignorantia prolixe deducta ſunt.

§. 12. Imputari qvoqve non poſſunt actiones eorum, qvi uſu rationis plane deſtituuntur; qvo in numero ſunt infantes, furioſi, & mente capti. Cum enim nec intellectu, nec voluntate recte uti qveant, ſed cæca ratione omnia peragant, perinde eſt, atqve ſi ex ignorantia invincibili actiones procedant, qvæ omnem imputationem tollit. Neqve ad rem pertinet, qvod ejusmodi hominibus interdum verbera infligantur; qvippe qvæ non habent rationem pœnæ delicto reſpondentis, ſed per modum nudæ correctionis adhibentur, ne talibus factis moleſtiam aliis faceſſere aſſveſcant. Qva ratione etiam belluæ, cum læſionem intulerunt, coërceri ſolent. Cæterum ſi furor diſtingvatur dilucidis intervallis, horum tempore delinqvere furioſos, adeoqve etiam pœnis affici poſſe, ambi-

ambigendum non est; cum actiones tunc liqvido dignoscere, & recte exigere ad normam præscriptam valeant.

§. 13. Unde etiam in foro civili infantes nunqvam puniuntur; qvia ob rationis defectum proprie in eos delictum non cadit. *l. 12. ff. ad L. Corn. d. sicar. §. 10. l. d. Inutil. stipul. c. 2. X. d. del. puer.* Infantiæ proximi vero ob circumstantiarum gravitatem judicis arbitrio qvandoqve castigari jubentur. Præjudicium de infante septenarium egresso, qvi lapidis ictu alium puerum occiderat, vid. apud *Carpz. Pr. Crim. P. III. Q. 143. n. 20.* Impuberes autem doli capaces vere delinqvunt, adeoqve etiam proprie sic dictam pœnam merentur; qvamvis ob infirmitatem ætatis & judicii non ordinariæ, sed tantum extraordinariæ pœnæ locus relinqvatur. *l. 7. C. d. pœn. l. 23. ff. d. furt.* add. *O. C. a. 164. Landr. l. 2. a. 65. Farinac. P. 3. Oper. Crim. d. pœn. temper. q. 92. n. 60.* neqve etiam fæminæ ante completum decimum qvartum ætatis annum pro puberibus habeantur. vid. *d. O. C. a. 164.* add. *l. 5. §. 3. C. ad L. Jul. Majest. C. 6. X. d. homicid.* Qvandoqve tamen gravissimis circumstan-

tiis concurrentibus ei, qvi pubertati proximus est, & præcipue doli capacitatem ipso facto luculenter ostendit, etiam ultimum supplicium irrogari potest. *a.* §. *18. l. d. Oblig. qvæ ex del. l. III. ff. d. R. I.* add. *d. O. C. a. 164. Carpz. Pr. Cr. P.* III. *q. 43. n. 48. seqq.* ubi aliqvot præjud. Puberes vero, qvamvis adhuc minorennes, a pœna ordinaria regulariter non liberantur, nisi qvod intuitu imbecillioris ætatis aliqvando, præsertim ubi aliæ circumstantiæ accesserint, mitigationi locus relinqvi soleat. *l. 37. §. 1. ff. d. minor.* ubi notanter dicitur, *interdum judices miseratione ætatis ad mediocrem pœnam produci*; qvod evidenti indicio est, regulariter minores pœna ordinaria plectendos esse. add. *O. C. a. 164. Carpz. d. l. n. 80. seq.* Pari ratione ea qvoqve, qvæ de furiosis diximus, pleniſſimum vigorem in foro obtinent. vid. *l. 40. ff. d. R. I, l. 12. ff. ad L. Corn. d. Sicar.* add. *Carpz. d. l. q. 145. n. 33. seqq.* Melancholicis, qvorum judicium atra circa præcordia bilis corruptiqve humores obfuscarunt, non qvidem plane remitti pœna, sed tamen judicis arbitrio mitigari solet; præsertim qvando melancholia

non

non procul a vesania hominem constituit. *Carpz. d. l. n. 53. seqq.*

§. 14. Præterea sub imputationem non cadit omissio eorum, qvæ vires nostras exsuperant, atqve adeo a nobis præstari haud possunt. Qvo pertinet vulgata regula: *Impossibilium nulla est obligatio.* Absurdum enim fuerit, ab aliqvo exigere, qvæ supra ipsius vires posita intelligit; ubi præterea impotentia non ab antegressa aliqva culpa dependet. Cæterum distingvi solent impossibilia, ut alia *physice*, alia *moraliter* talia dicantur. Illa sunt, qvæ præstari nulla ratione qveunt, si vel maxime omni nisu, & contentione in eadem voluntas incumberet. Sic physice impossibile est, pauperem in eo statu, qvo eget, aliis mille thaleros erogare; aut qvæ vulgatissima exempla sunt, digito cœlum tangere, serenam tempestatem efficere. Hæc enim ejusmodi sunt, qvæ agendi efficaciam in homine plane excedunt, ut nec citra stoliditatis notam in ea ferri voluntas qveat, &, si feratur, conatum eventus destituat.

§. 15. Impossibilia vero *moraliter* dicuntur, qvorum adimpletio nullo qvidem physico obstaculo intercipitur, ejusmodi tamen

men sunt, ut ea præstare, vel indoles humanæ naturæ, vitæqve civilis, vel superioris, cui parere necessum, voluntas impediat. Prioris exemplum est, omnes homines inter se conspirare, ut gratis aliqvod mendacium posteritati tradant. Qvamvis enim nullum hic naturaliter impedimentum subsit; facile tamen apparet, per immensam istam voluntatum humanarum inter se varietatem, conditionemqve civilis vitæ id fieri haudqvaqvam posse; uti contra & illud moraliter impossibile, ab universo genere humano veritatem constanter observari, nec a qvoqvam ullo mendacio aut fabula unqvam corrumpi. Posterioris exemplum constituit materia singularum legum. Qvamprimum enim subdito lex lata & promulgata sufficienter est, voluntas ejus vinculo constringitur, ut intelligat, citra peccatum & violationem sui officii in contrariam se partem tendere haud posse. Qvamvis autem ea sit ingenii humani pravitas, ut sæpissime neglecto, aut contempto hoc vinculo, in partem contrariam ruat, & contra legis præscriptum actionem suscipiat; eo ipso tamen nonnisi physicum impedimentum abesse ostendit; moralem impossi-

possibilitatem sua malitia tollere haud potest; qvippe qvæ a sola legis obligatione dependet. add. *l. 15. ff. d. Cond. Instit.*

§. 16. In Foro civili qvoqve nemo ad aliqvid impossibile præstandum adstringitur; modo non sua culpa agendi vires amiserit. Cæterum cum non definiat Jus Naturæ, utrum negotium sub tali conditione impossibili celebratum subsistere debeat, hac pro non adjecta habita, an vero cum ipsa conditione inane atqve invalidum reputandum sit; Jure Civili peculiarem hic determinationem invenimus. Distingvit enim, utrum conditio sive natura, sive jure & moraliter impossibilis actui inter vivos, utputa pacto, aut contractui accesserit, an vero ultimæ voluntati, ut hæredis institutioni, legato, adjecta sit. Illo casu ipsum negotium tali conditione infirmatur, ita ut lusisse inter se partes, nihilqve actum censeatur. vid. *l. 31. ff. d. O. & A.* In ultimis voluntatibus autem si tale qvid occurrat, eo neglecto, velut non adscriptum esset, res ipsa, qvæ eo modo relicta est, debetur. *l. 14. ff. d. Cond. Inst.* Neqve vero hæc dispositio ratione destituitur. Cum enim contractus,

aliive actus inter vivos utriusq; partis consensu celebrentur; ubi conditionem ejusmodi absurdam, & qvæ vel plane non, vel non citra peccatum impleri potest, adjecerunt, non alia præsumtio capi potest, qvam qvod jocari, non agere aliqvid, voluerint. Contra in ultimis voluntatibus, qvæ altera parte ignorante fiunt, huic imputari non potest, qvod testator tale qvid legato aut fidei commisso ipsi relicto adjecerit; adeoqve merito, hujusmodi conditione detracta, ipsa testatoris voluntas subsistet; &, qvod ita relictum est, peti poterit.

§. 17. Iniqvum etiam est, imputari alicui omissionem actionis, cum occasio agendi citra culpam deficit. Neqve enim ad arbitrium nostrum semper facultas rei gerendæ suppetit; verum haud raro a fortuna, aliorumqve favore dependet. Complectitur autem occasio agendi primo actionis *objectum*, in qvod eadem exerceri debeat. Sic judici neglectus justitiæ exprobrari non potest, cum nullæ ad ipsum deferuntur lites. Sic mendicus de inhumanitate ejus qveri neqvit, qvem non accessit, ab eoqve stipem petiit. Deinde reqviritur *locus* commodus & tempus opportu-

portunum, ubi nec ab aliis afferri impedimentum possit, & officii partes magis necessariæ expediendæ non veniant. Sic citra injuriam difficiles experitur aures, qvi, cum gravia negotia obeunda sunt, intempestivis qverelis easdem obtundit. Sic ædes sacræ profanis tractandis commodum locum non præbent. Deniqve adesse etiam debent *vires* agendi. Nam si qvis nulla sua culpa iis destituatur, absurdum fuerit, de omissa ab ipso actione prolixe conqveri. Sic pauperi non imputatur, qvod liberalis non sit; neqve ab ingenio natura stupido postulari potest, ut miracula posteritati tradat.

§. 18. Neqve etiam nobis imputari potest, qvales per qvietem imagines phantasia figuret. Qvippe in ista somni caligine voluntatis arbitrium qviescit; & cerebro turbato mentem phantasia falsis & mendacibus visis concitat, & nunc funestas eidem & lugubres, nunc lætas species offert. Qvæ cum citra voluntatis consensum fiant, & ab homine averti neqveant, sub imputationem nullo modo cadunt. Qvod si qvis vero turpi cogitationi interdiu cum delectatione indulserit, ejusqve imago menti alte infixa

per

per qvietem redierit, imputationi hactenus erit locus, qvatenus hujusmodi somnio occasionem præbuit. vid. *Cicer. in Somnio Scip. princ.* Plane si qvis, discusso sopore, visam speciem animo revolvat, turpiqve somno delectetur, aut aliis cum voluptate narret, graviter peccat, ejusqve facti sui rationem etiam in foro Civili recte poscitur; ut si qvis turbulentis hominibus, imperioqve infestis referat, qvod visus sibi per qvietem sit, Principi violentas inferre manus, illisqve sermonibus horum temeritatem alat, atqve ad audendum facinus proniores efficiat.

§. 19. Actiones qvoqve alienæ sæpenumero nobis imputantur; & modo qvidem diverso; prout varius est noster ad eas concursus. Aliqvando enim actio patratori plane non imputatur, sed omnes ejus effectus morales redundant in eum, qvi huic agendi necessitatem attulit, eoq; tanqvam instrumento ad exercendam actionem usus est. Sic mihi citra causam irascitur, in cujus caput manum meam per vim arreptam alius impegit. Sic pœnam violenti stupri non fœmina, sed violator luit. Sic imperanti imputatur cædes, cujus executio sub comminatione gravissimi mali, qvod

statim

ſtatim repræſentari poterat, ſubdito injuncta eſt. Neqve enim in hujusmodi actiones patrator efficacem influxum præbet, qvi ſub imputationem cadat. Enimvero multo freqventius eſt, ut actio patratori ſimul imputetur. Qvod, ut recte monet *Pufendorfius Tr. d. J. N. & G. L. 1. c. V. §. 14. & d. O. H. & C. L. 1. C. I. §. ult.* tripliciter contingit. Aliqvando enim actionis ab alio ſuſceptæ alter principalis cauſa habetur, patrator tantum minus principalis; interdum uterqve in pari culpa hæret; qvandoqve vero patrator principalis, alter cauſa minus principalis eſt. Principaliter actio ab alio patrata imputatur domino, qvi juſſit illam fieri ab eo, qvem ſuo imperio ſubjectum habet; vel cujus tanta apud ipſum auctoritas, ut ei reniti facile non poſſit. Ut ſi filius, aut ſervus, patris, dominiqve juſſu actionem ſuſcipiat; ea qvidem patratori recte imputatur; ſic tamen, ut ejus principalem cauſam conſtituat, qvi imperio ipſum vel auctoritate ad agendum impulit, citra qvam ſi fuiſſet, actio non eſſet ſuſcepta. Pertinent etiam ad hanc claſſem, qvi reqviſitum conſenſum dederunt, ſine qvo alter non fuiſſet acturus; ut ſi qvis eum, cujus directioni actio-

ctiones subsunt, & qvo inconsulto nihil agere solet, consuluerit, atqve prolixum ejus consensum in actionem, qvam suscipere destinavit, impetret. Item qvi actionem non prohibuerunt, cum possent, & ex obligatione perfecta tenerentur. Sic si servus alicujus, aut animal noxam dederit, qvam avertere potuit Dominus, recte ab ipso pensationem damni, aut noxæ deditionem exposco. Sic maritum in Anglia per offensas uxoris, qvam castigare & in ordinem redigere poterat, obstringi, memorat *Pufend. c. l.* Pari propemodum passu ambulat patrator cum eo, qvi ipsi actionem mandavit, cum ejus imperio haud subjectus sit. Sic procurator, qvi jussu mandantis convitia in partem adversam evomit, non minus, qvam ille, injuriarum tenetur. Sic assassinus, qvi mercede conductus jugulum alicui fregit, parem cum assassinatore pœnam meretur.

§. 20. Referuntur etiam ad hanc classem, qvi opem & consilium ad actionem præstant; qvi patratorem recipiunt, & tuentur; qvi injuriam alteri inminentem, cum possent & deberent, non removerunt. Minus principaliter ad actionem alienam concurrit, qvi patra-

patratorem speciali consilio instruxit; ut si qvis viam ostenderit furi, qva in altum evadat, & res alienas contrectet. Item huc pertinent laudatores & assentatores, qvatenus ad exeqvendum facinus majorem promtitudinem addunt. Secus ergo est, si qvis post facinus patratum illud approbet & laudet; neqve enim hoc efficit, ut causa ejus censeri qveat; cum non efficaciter ad illud concurrerit. Item qvi exemplo alios ad similes actiones instigant.

§. 21. Ex hisce fundamentis dijudicanda sunt, qvæ de imputatione alienarum actionum Jura Civilia disponunt. Sic ergo, ut de prima classe prius videamus, si qvis jussu alterius, cujus imperio subest, alicui damnum injuria dederit, non in ipsum, sed eum, qvi jussit, actio *L. Aqvilia* datur. *l. 37. pr. ff. ad L. Aqvil.* add. *Ant. Matth. d. Crimin. Proleg. c. 1. §. 13.* Ita eadem actione tenetur dominus, qvo sciente, cum prohibere posset, servus aliqvem vulneravit, aut occidit. *l. 44. §. 1. ff. ad L. Aqvil.* Cujus rationem reddit Paulus in *leg. seq.* ubi ait: *Scientiam hic pro patientia accipi; ut, qvi prohibere potuit, teneatur, si non fecerit.* Ita si, sciente domino, damnum a familia datum sit, & suo & singulorum servorum

rum nomine conveniri noxali judicio potest. *l. 1. §. 1. ff. Si famil. furt. fec. dic.* ubi in seqventibus exponitur, qvomodo scientia hoc loco accipienda sit. add. *l. 2. ff. d. noxal. act.* Sic etiam si uxores eorum, qvi ad officia proficiscuntur, aliqvid deliqverint, ab ipsis ratio & vindicta exigitur in *l. 4. §. 2. ff. d. Off. Proconf.* In pari vero culpa etiam J. Civ. cum patratore hæret, qvi executionem facinoris juvat & promovet. Sic non minus furti actione tenetur, qvi ferramenta sciens commodavit ad effringenda ostia, vel scalam suppositit, qvam ipse fur. *l. 54. §. 4. ff. d. furt.* Receptatores perinde puniri jubentur, atqve ipsi latrones in *l. 1. ff. d. Receptat.* Ita qvi ex adulterio uxoris suæ qvæstum facit, aut alias ad stupra & adulteria commirtenda domum suam præbet, qvasi adulter plectitur. *l. 8. ff. ad L. Jul. d. adulter.* add. *l. 9. §. 1. ff. ad L. Corn. d. Falf. l. 14. ff. d. Off. Præf.* Sic qvoqve furtum imputatur ei, qvi consilium speciale & instructorium dedit. §. *II. l. d. Obl. qvæ ex del. nasc.* ubi verba: *ope & consilio* non præcise conjunctim accipienda sunt. Qvod tamen de actione tantum civili intelligendum. Nam in pœna suspendii dictanda reqviritur hodie, ut ultra consilium vel etiam ope-

operam præstitam, de lucro inde redacto participatum sit. *O. Crim. a. 177.* add. *P. 4. Const. El. 39. Carpz. Pr. Crim. Q. 87. n. 34. seq. Ant. Matth. d. Crimin. Proleg. c. 1. §. 7.*

§. 22. Extra hos casus actio ab alio patrata alteri imputari non potest, cum effectus alienorum factorum de persona in personam regulariter non transeant, neqve adeo citra summam iniqvitatem imputari qveat, qvod ut fieret, aut non fieret, in nostro arbitrio haud fuit positum. Sic ergo audivisse aliqvid, aut vidisse, crimine vacat, si nihil præterea accesserit; cum ad hos sensus arbitrii nostri libertas se haud extendat; etsi qvieta auditio pro assensus signo interdum habeatur. *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. V. §. 14.*

Caput Tertium.

DE NORMA ACTIONUM HUMANARUM.

§. I.

DOmestico qvisqve exemplo edocetur, voluntati sibi relictæ parum constantiæ in-

esse, sed eam nunc in hanc, nunc in illam partem propendere, modo in hoc, modo in aliud objectum ferri, & sæpenumero eandem rem diverso tempore appetere, & aversari. Multo autem major varietas deprehenditur, ubi diversorum hominum voluntates excussum ire, & qvid inter se conveniant, qvidve discrepent, examinare libet. Manifestum sane est, nisi externa qvædam vis uniendi accederet, plerumqve voluntates humanas in contrarias partes discessuras, longeqve diversa perpetuo objecta secuturas esse. Qvocirca cum societas humana citra animorum consensionem salva stare non posset, coercenda fuit diffluens hæc & vaga humanæ voluntatis libertas, certiqve limites designandi, qvos transilire nefas esset, seu certa norma & regula constituenda fuit, secundum qvam actiones suas homines instituerent, ut essent justæ, & juxta qvam earundem æqvitatem & iniqvitatem, bonitatem & malitiam judicarent.

§. 2. Norma illa vulgato vocabulo *lex* appellari solet. Qvam definimus per *regulam a superiori præscriptam, qvæ inferiorem ad actiones suas juxta eam dirigendas obligat.* Dico

Dico *a superiori.* Qvo ipso exprimitur causa efficiens legis, qvæ semper est superior, & qvidem intuitu potestatis seu juris competentis; sola enim superioritas respectu dignitatis jus legem alteri præscribendi non tribuit. Præcipua autem legis & ipsi intrinseca vis est, qvod obligationem ad actiones secundum ejus præscriptum instituendas parit. Qvod ut rectius intelligatur, naturam obligationis, ejusqve subjectum, & originem breviter expendisse juvabit.

§. 3. *Obligatio* describi solet, per *vinculum juris, qvo qvis necessitate adstringitur alicujus rei præstandæ*, seu *qvo qvis ad dandum, faciendum, vel præstandum qvid adstringitur.* Nempe per obligationem coërcetur qvasi & limitatur nostrum agendi arbitrium, ut voluntas ad actum legi contrarium se determinare sine vitio non possit. Unde obligatio pondus qvasi voluntati addit, & in ea peculiarem sensum ac motum excitat, ut homo gaudeat, se obligationi incumbenti convenienter agere, & contra acres conscientiæ stimulos sentiat, & propriam veluti censuram in se exerceat, ubi secus, qvam obligatio postulat, se fecisse intelligit. Cum qva defini-

tione convenit illa, qvam tradit *Justinianus in pr. l. d. Oblig.* nisi qvod non obligationem in sua latitudine, sed eam solam, qvæ ex vinculo jurium specialium, nempe Civitatis Romanæ oritur, descripsisse videatur. Add. *l. 25. ff. d. O. & A.*

§. 4. Ut vero appareat, hominem aptum ad obligationem recipiendam esse, ante omnia videndum est, qvomodo subjectum, in qvod obligatio introducenda, comparatum esse debeat. Ad hoc autem reqviritur primo, *ut non sit ad uniformem agendi modum ex intrinseca necessitate determinatum.* Nam & actum is ageret, qvi illud ad eundem agendi modum, in qvem sua natura fertur, imposita obligatione, adigere vellet, & ex adverso supervacaneum laborem susceperus esset, qvi modum operandi præscribere conaretur, ab eo diversum, qvi jam intrinseca & immutabili naturæ necessitate definitus est. Alterum ejus, cui obligatio impingenda, reqvisitum est, *ut superiorem agnoscat;* citra qvem si fuerit, nullus obligationi locus est. Utut enim is, qvi ab omni imperio alieno liber, fortasse certum actionum genus exercendum eligeret, in eoqve proposito constanter

ſtanter perſiſteret; actus tamen illi ab obligatione venire dici non poſſent; qvod voluntatem ad ejusmodi actiones uniformiter producendas vel nihil plane impelleret, vel, ſi qvid moveret, id phyſicum aliqvid, non morale foret.

§. 5. Qvodſi jam ad conditionem ac naturam hominis reſpiciamus, in aprico eſt, ipſum mobili qvadam, & in omnes partes flexili facultate, qvæ Voluntas audit, præditum eſſe. Cujus tam laxæ libertati veluti frenum aliqvod injici, atqve tam late patens arbitrium certis limitibus includi poteſt. Limitatio vero talis nihil aliud eſt, qvam obligationis impoſitio, qvæ voluntatem ad certum actionum genus morali impulſu movere debet. Manifeſtum etiam eſt, hominem ſuperioris, a qvo obligari qveat, poteſtati ſubeſſe. Qvamvis enim fortaſſe alius hominis imperium in ſocietate Civili haud agnoſcat, Summo tamen & Potentiſſimo Numini, cui ſe originem ſuam debere intelligit, ſubjectus eſt. Ex adverſo liqvet, etſi Deus ſit Ens liberrimum, obligari tamen eum haud poſſe, qvia ſuperiorem non habet. In cetera autem præter hominem animalia propterea obligatio non ca-

dit, qvia voluntate carent, & intrinseca qvadam necessitate ad uniformem agendi modum adiguntur.

§. 6. Qvid vero reqviratur ad hoc, ut qvis alteri obligationem impingere qveat, non omnino expeditum est. Sunt, qvi solam *naturæ eminentiam* sufficere judicant, ita, ut qvi præstantiorem indolem acceperit, minus præstanti suo jure legem præscribere possit. Ubi illud manifestum est, eum, qvem excellentioribus natura donis instruxit, feliciori successu negotia obire, majoriqve consilio ac prudentia actiones suas dirigere posse. Enimvero ob hanc solam causam potestatem sibi in alterum arrogare neqvit, in qvem suis donis parca natura fuit; cum saltem tantum luminis ipsi supereſſe possit, ut actiones suas utcunqve regere, atqve ad sui conservationem componere valeat. Qvodsi ergo is, cujus anguſtior natura est, tamen sibi confidat, & actionibus suis ipse præesse velit, nulla causa est, cur ab alterius nutu ipsum pendere, abeoqve leges accipere oporteat. Et hinc est, qvod etiam hominum in belluas imperium non a sola naturæ eminentia veniat, sed a mera vi,

ra vi, & consvetudine per freqvens actuum parendi exercitium contracta.

§. 7. Alii fundamentum juris obligandi solam *potentiam* esse volunt; qvam sententiam inprimis *Hobbes d. Cive c. 15. §. 5.* tuetur. Enimvero neqve hic evidens nexus inter potentiam, & obligationem ad parendum ostendi potest. Vis qvidem actu debiliorem cogendi ad jussa sub metu alicujus mali exeqvenda inde fluit; qvæ tamen a facultate obligandi longissime se juncta est. Prior enim illa facti, hæc juris est. Unde consequitur, si qvis nonnisi metu intentati periculi tantisper alienæ voluntati pareat, eo ipso nullum alteri jus acqviri, sed posse ipsum qvasvis jugum tale excutiendi vias jure periclitari. Secus est in actibus, qvi ab obligatione pendent. Horum enim omissio cum intrinseco sensu iniqvitatis & peccati conjuncta est.

§. 8. Ex dictis haud obscure colligitur, duo concurrere debere, ut qvis alteri obligationem injungere possit. Primum est, ut sufficientes vires habeat, malum aliqvod inferendi, si voluntati non satisfiat. Deinde ut justam rationem allegare qveat, per qvam alter ad obediendum ipsi sponte impelli

debeat. Neutrum seorsim sufficit. Nam contemnitur facile, qvi non metuitur, & suis viribus audaciæ obsistere non potest; neqve justum, aut diuturnum est imperium, cui solus metus præsidium circumponit.

§. 9. Præterea ad obligationem producendam necessaria est cognitio tum legislatoris, tum ipsius legis. Nam neqve sufficit, legem præscribi, nisi simul appareat, illam ab eo proficisci, qvi summo imperio in Civitate gaudet; neqve satis est, de legislatore constare, nisi mens & sententia ipsius legis perspecta sit. Et legum qvidem naturalium tenor auctorqve ex ipso naturæ lumine, ut deinceps dicemus, facile cognoscitur. Positivam vero legem ab eo, penes qvem summa potestas est, latam esse, variis modis constare potest. Puta, si is oretenus legem promulget, aut eam in autographo consignet, vel saltem sigillum suum apponat, nomenqve sua manu subjungat. Qvamvis enim & hic fraus aliqva subesse possit, ea tamen non præsumenda. Unde si qvis tali casu de promulgantium fide sine justa & gravi causa dubitet, lex eum nihilominus obstringit, cum sibi imputare debeat, qvod tam jnanem sibi scrupulum obrepere passus est.

est. Itemsi alicui deleget seu committat potestatem, legem suo nomine promulgandi; qvod fieri solet per Magistratus cujusvis loci ordinarios. Ubi tamen distingvendum, an promulgandi hoc munus cum officio, qvod promulgantes in civitate gerunt, regulariter conjunctum sit, necne. Illo casu eorum fides in dubium temere vocanda haud est, sed lex obligat, donec de contraria Principis voluntate evidenter constet. Qvod contra hoc casu secus est. Neqve enim illis prius fides habenda, qvam appareat, munus promulgandi legem specialiter ipsis demandatum fuisse. Deniqve si lex in judiciis recipiatur, & nihil contineat, qvod Principis auctoritatem labefactare, ejusqve summæ potestati aliqvid detrahere videatur. Ipsius autem legis sententia innotescit, si ea lingva conscripta sit, qvam subditi omnes, qvos obligare debet, intelligunt; si verbis perspicuis, & popularibus concepta, atqve e tali loco, unde ab omnibus legi possit, promulgata sit.

§. 10. Cæterum si qva obscuritas in lege occurrat, interpretatio a legislatore petenda est; qvæ hinc *avthentica* dici solet. Verum qvia hoc ipsi valde molestum futurum,

si propter exiguam qvamvis obscuritatem continuo adiretur; hinc constitui solent, qvi occurrentes in lege difficultates recta interpretatione expediant. Qvæ interpretatio vulgo *doctrinalis* dicitut, qvod subsidio doctrinæ a legum peritis fiat. Eaqve triplicis generis est, *simplex*, *extensiva*, & *restrictiva*. Illa adhibenda est, qvando verba & mens legis aperta atqve clara sunt; tunc enim simplici paraphrasi, seu declaratione opus est; unde etiam *declarativa* audit. Cum vero legis verba non tam late patent, atqve mens ejus ac sententia, seu qvando plus sensit legislator, qvam scripsit, interpretatione *extensiva* utendum, & stricta legis verba ad casus in ea haud expressos extendenda. *Restrictivæ* interpretationi tunc locus est, cum verba legis latius patent, qvam ejus sententia, adeoqve veluti plus scripsit legislator, qvam sensit. Aliqvando etiam certa legis interpretatio consvetudine judiciorum introducitur, eaqve *usualis* vulgo appellatur.

§. 11. Lex est vel *imperfecta*, vel *perfecta*. Illa dicitur, qvæ præscribit, qvid faciendum vel omittendum sit, sine adjecta in transgressorem pœna; qvalis fuisse dicitur Lex *Cincia*,

cia, in cujus fine hæc clausula habebatur: *Qui secus fecerit, improbe feciſſe videbitur.* Ubi tamen vide *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. 6. §. 14.* Regulariter omnis lex perfecta eſt; ſeu in ea non ſolum, qvid faciendum, vel omittendum ſit, præſcribitur, ſed & pœna conſtituitur, qvæ aberrantem ab ejus norma manere debeat. Qvæ pars legis poſterior *ſanctio* aliasa JCtis vocatur- Nimirum duarum harum partium una non poteſt absqve altera eſſe. Nec enim ſufficit, præſcribere alicui, juxta qvam regulam metiri ſuas actiones debeat; ſed præterea deſideratur, ut aliqvid ſit, qvo ad agendum legi conformiter ſubditi impelli poſſint. Neqve ſatis eſt, pœnam alicui intentare, niſi is ſimul ſciat, in cujus actionis commiſſione, vel omiſſione ea metuenda ſit. Cæterum vis obligandi, ſeu ſtringendi alicujus conſcientiam, & facultas malum in caſum transgreſſionis repræſentandi, eſt in legislatore, ſeu eo, qvi ſummo imperio in civitate gaudet. Qvamvis executio pœnæ in legis violatores ſtatutæ ſæpenumero ſoleat etiam aliis, utpote Magiſtratibus, concedi.

§. 12. *Objectum* ſeu *materia legis* ſunt (1.) *Res indifferentes* & *arbitrariæ*; niſi per poſte-

posteriorem legem prioris decreta confirmentur. (2.) *Possibiles*, & qvidem tam *physice*, seu per rerum naturam tales, qvam *moraliter*, h. e. ut nihil turpitudinis involvant; Hæ enim morali æstimatione pro impossibilibus habentur; Add. *l. 15. ff. de cond. Inst.* (3.) Unde utilitatem vel is, cui lex præscribitur, vel alii saltem sentiunt. Secus enim si fuerit, voluntas potius innoxiæ libertati suæ relinqvenda est, qvam inanibus, & nihil profuturis vinculis constringenda.

§. 13. Obligatio ad actiones legi conformiter instituendas pertinet regulariter ad omnes eos, qvi legislatori sunt subjecti, & in qvos materia legis qvadrat. Dum enim legislator generaliter legem subditis proponit, non censetur qvempiam ex iis eximere voluisse; cum exemtio hæc facti sit, adeoqve non præsumatur. Sed tamen contingit qvandoqve, ut qvis a lege eximatur, vel statim sub initium, ita ut nunqvam eum lex obligaverit; vel ex post facto; qvod posterius *dispensare* dicunt; ipsa autem hæc exemtio a nexu legis, sive ab initio, sive ex post facto contingat, trito vocabulo *privilegii* venit.

§. 14. *Privilegium* itaqve nihil aliud est, qvam

qvam *singulare jus*, *qvod subdito a legislatore contra juris generalis tenorem legitime concessum est.* Divisiones privilegiorum variæ a JCtis Romanis traduntur; præcipuæ antem earum, qvæ ad disciplinam Juris Naturæ spectare videntur, hæ sunt. Dispesci scil. privilegia qveunt intuitu modi, qvo conceduntur, in *absoluta* &. *referentia*, seu ut alias vocantur, *ad instar*; de qvibus id notandum, qvod, qvamvis privilegia *relata* postmodum augeantur, ipsa tamen augmentum non capiant. Cum enim legislator se ad aliud privilegium refert, id considerat pro illo statu, in qvo tum temporis est; ideoqve, qvicqvid postmodum relato accedit, ad referens trahi non potest. Item in *revocabilia*, qvæ cum jure revocandi, & *irrevocabilia*, qvæ sine hoc revocandi jure conceduntur. Respectu *subjecti* notissimum est, privilegia esse vel *realia*, vel *personalia*. Illa intuitu rerum conceduntur, & cum iis ad qvemvis possessorem transeunt. Hæc autem, *personalia* nimirum, personis concessa, eas non egrediuntur, & cum illis regulariter exstinguuntur. Dico *regulariter*. Secus enim est, si vel intentio concedentis, vel legis specialis determinatio aliud ferat.

Perso-

Personalia privilegia subdividuntur in *singulariter* & *communiter talia.* Illa uni, hæc pluribus personis conceduntur, & qvidem vel *toti corpori*, seu *universitati*; vel *certo ordini.* Respectu finis alia sunt *favorabilia*, alia *odiosa.* Qvæ passim jureconsulti Romani explicant.

§. 15. Cæterum divisiones privilegiorum a causa impulsiva petitæ in *gratiosa* & *remuneratoria*, *pura* & *conventionalia* in disciplinia J. N. nihil utilitatis præstare videntur. Effectus enim, qvem Jus Civile hic statuit, facilitas nimirum, aut difficultas revocandi, non agnoscitur a J. N. utpote qvo omne privilegium, nisi illud revocandi jus sibi concedens reservaverit, est irrevocabile. Sane enim adest & transferentis seu concedentis voluntas, & alterius, cui fit concessio, acceptatio, & proinde jus plenum in eum, & hinc etiam non secus, ac in donatione contingit, irrevocabile in acceptantem transfertur. Sed qvia Principes alia aliis facilius solent revocare; inde sua ratio Juri Civili constat, ob qvam divisiones has introducere potuit.

§. 16. Interpretationem privilegiorum qvod attinet, notandum, eam *late* fieri debe-

debere *in præjudicium concedentis*, utpote qvi qvam pleniſſime ſubvenire voluiſſe creditur; *ſtrictiſſime* autem, ſi de tertii agatur præjudicio; cum Princeps non præſumatur facile privatorum jura violaturus. Extingvuntur privilegia (1.) *Voluntate concedentis*, ſi cum jure revocandi nimirum conceſſa fuerint. (2.) *Extincta qvalitate*, intuitu cujus conceſſa ſunt. (3.) *Interitu totali ſubjecti*, cui inhærent. (4.) Urgente *juſta cauſa* alia; ut *abuſu privilegii*. Sed cavendum tamen ſedulo Majeſtati, ne indiſtincte & promiſcue diſpenſatio a Lege, ſeu privilegium ſubditis concedatur; tum, ne tam freqventi relaxatione vinculi legalis auctoritas legislatoris labefactetur; tum ne æmulationi & invidiæ periculoſæ inter ſubditos occaſio ſuppeditetur; cum nihil inter eos, ſi fuerint merita paria, magis odioſum ſit, qvam inæqvalitas.

§. 17. Diverſa a diſpenſatione eſt *Æqvitas*, cujus varia eſt apud auctores explicatio; unde confuſioni facilis origo. Difficultas tamen omnis ſic expediri poſſe videtnr. Nimirum æqvitas accipitur vel *abſolute*, vel *reſpective*. *Abſolute*, qvatenus æqvipollet *juſtitiæ*; *reſpective*, rurſus duplici modo capitur,

tur, vel *in ſenſu generaliori*, vel *ſpecialius*. *Generaliter* ſumitur pro qvavis recta legis generalis ad caſus obvenientes applicatione; ſpecialius autem accepta vox æqvitatis denotat eam legis applicationem, qva oſtenditur, ocurrentem caſum ad legem præſentem generalem non pertinere, ſeu non ſub ea comprehendi ob peculiares circumſtantias, proptet qvas ipſe legislator, ſi adeſſet, pronunciaturus eſſet, ſe ſub lege generali præſentem caſum complecti non voluiſſe. Qvando enim Princeps legem fert, eam concipit generaliter & indeterminate, & qvia omnes peculiares caſus proſpicere non ſemper poteſt, inde res æqvi & prudentis judicis arbitrio cnmmittitur, ut is non ſolum legem latam ad caſus ſingulares in vita civili occurrentes applicet, ſed & qvandoqve oſtendat, circumſtantias, qvæ certum caſum comitantur, non pati, ut legis generalis diſpoſitio ad eum applicetur.

§. 18. Ex dictis fluit deciſio duarum qvæſtionum, qvæ vulgo agitari ſolent, (1.) *An detur æqvitas ſcripta*, ſeu *materialis*, uti vocant? Nam id alio ſenſu affirmari non poteſt, niſi qvatenus æqvitatis vox in generali ſi-

li significatione sumitur, ut æqvipollet justitiæ; sic enim omni legi regulariter dici potest æqvitas inesse. (2.) *An & qvomodo æqvitas a dispensatione differat?* Differunt enim potissimum qvoad *causam efficientem*, & *objectum*. *Causa efficiens* dispensationis est *Majestas*, seu is, qvi & sanciendi, & tollendi legem potestatem habet; *æqvitas* autem exercetur *a Judice qvovis*, seu Magistratu, cui facultas secundum leges pronunciandi data est. *Objectum* dispensationis sunt actiones, qvas respicit legis dispositio; æqvitas autem, scil. specialis, versarur circa casus, qvi sub lege generali non continentur.

§. 19. Qvatenus *actiones* considerantur in relatione ad normam legis, divisio earum abit in *bonas*, *malas*, & *licitas* seu *indifferentes*. Et *indifferentes* qvidem dicuntur, qvarum exercitium non est lege limitatum, aut determinatum, sed libertati voluntatis humanæ plenissime relictum. *Bonæ* sunt, qvæ ad normam legis exacte congruunr. Exacte, inqvam, seu per omnes partes; Nam si vel in minima parte aberraverit ab ea actio, desinit esse bona; qvemadmodum linea ab

Architecto aut Geometra ad normam exacta, si vel in minima parte non congruit, desinit recta esse. Ut autem actio normæ morali exacte qvadret, reqviritur, ut adsit in agente *qvalitas debita*, *objectum a lege præscriptum*, *finis*, qvem illa præcipit intendi, cæteræqve ab ea reqvisitæ circumstantiæ concurrant. Ita v. g. ut *bellum* sit justum, reqviritur, ut (1.) adsit certa in subjecto agente qvalitas, summum nempe imperium. (2.) qvoad objectum, ut geratur in eos, qvi injuste offenderunt. (3.) ut pro scopo sibi præfixam habeat reparationem pacis & qvietis communis; item, ut alia mitiora remedia prius frustra tentata fuerint. Qvod si ergo vel unum ex hisce reqvisitis desit, bellum, qvod geritur, justi nomine venire non poterit. Ex iis, qvæ dicta sunt, facile colligi potest, qvæ sit actio *mala*, qvæ nempe vel minimum a norma morali, seu lege ejus directrice deflectit. Ut si in bello non legitimus finis intendatur, sed vel gloria, vel imperii amplificatio.

§. 20. Seqvitur, ut de *Justitia* qvædam subjiciamus. Illa tribuitur vel *personis*, vel *actionibus*. Justitia actionum in seqventi §. definietur. Hic autem qvid

altera

altera justitia sit, explicandum venit. Definitur ea communiter a Moralistis cum *Aristotele* per *habitum, qvo ad agendum justa homines sunt idonei, & ex qvo justa agunt voluntqve.* Sed vitio obscuritatis definitio hæc laborat. Sane enim qvi, qvid justitia sit, qværit, ignorat etiam, qvid justi vox significet. Melior ergo ea, qvæ habetur in *pr. J. d. 1. & 1.* cum nempe definitur justitia, qvod sit *constans & perpetua voluntas, suum cuiqve tribuendi.* Cum *voluntas* dicitur, non *actualem* intellectam volumus, sed *habitualem*, seu habitum animi recte volentis. Ut igitur qvis juste dicatur agere, reqviritur, ut id, qvod agit, velit; secus ergo, si per errorem qvis bene faciat; Uti enim errantis nulla voluntas seu electio & consensus est, ita nec talis actio justa meretur dici. Neqve vero habitus qvicunqve voluntatis sufficit, sed *constans* reqviritur, h. e. qvi sibi constat ex recto intellectus judicio; qvo indigitatur, actiones ex proære si seu proposito, & intentione recta fieri debere. Unde qvi alteri injuriandi animo panem porrigit, injuste facit, qvamvis eum alter acceptet. Voluntas *perpetua* desideratur,

seu firma & stabilis; vaga enim illa & ambulatoria juste faciendi voluntas, neutiqvam justum virum facit.

§. 21. *Materia* seu *Objectum* hujus habitus est, ut ex eo qvis *suum alteri tribuat*; ubi per τὸ *suum* intelligitur, qvicqvid alteri debetur. Et hinc triplicia hominis justi officia complectitur; ut (1.) suum tribuat Deo, recte de Eo sentiendo, & sincere eundem colendo. (2.) *Sibi ipsi*, caste se gerendo, animumqve virtutibus atqve scientiis excolendo. (3.) *Proximo*, tribuendo ipsi, qvicqvid ei debetur, sive ex *Jure Naturali*, sive *Gentium*, sive *Civili*. Cum autem absoluta stabilitas seu constantia in hominem ob imbecillitatem ejus non cadat, hinc sufficit ad hoc, ut qvis denominetur justus, si efficaciter & omni contentione animi intendat actiones justas; si efficiendis iis, qvantum potest, operam navet, utut qvandoqve ex infirmitate humana iujuste agat; qvemadmodum viciſſim injustus qvandoqve juste agit, non amore virtutis, & ut incumbenti obligationi satisfaciat, sed metu pœnæ, qvam lex transgressoribus minatur.

§. 22. *Justitia actionum* præter congruentiam cum lege, in qva earum bonitas con-

consistit, involvit *relationem ad personas*, ad qvas illæ applicantur. Cæterum receptissima est Justitiæ divisio in *Universalem*, & *Particularem*. Illa versatur circa debitum Naturale imperfectum. Hujus vero objectum debita perfecta constituunt. Vid. *Pufend. d. J. N. & G. l. 1. C. VII. §. 8. seqq.*

§. 23. Jus autem, cui debitum perfectum respondet, vel descendit *ex pacto* inter membrum & societatem inito, vel *aliunde*. Ibi observatur *Justitia distributiva*, sub cujus objectum imprimis cadunt honores & onera. Qvando enim qvis societati adjungitur, ipse qvasi cum ea paciscitur, ut sibi pro modo operarum, qvas societati præstiturus esset, & onerum, qvæ esset laturus, commoda etiam atqve honores distribuat; & contra societas tacite a novo hoc membro stipulatur, ut pro commodis, qvæ percipiet, onera etiam ferat. Unde apparet, qvod tacitum hoc pactum respectum habeat ad onera membri societatis in conferendis ipsi honoribus, & commoda in navanda societati opera, ferendisqve oneribus. Qvi respectus, cum conferat inter se commoda & incommoda, & proinde non simplex sit, sed comparatus; inde est,

qvod in Justitia distributiva vulgo dicatur attendi *Proportio Geometrica*; qvi terminus, ut & *Proportionis Arithmeticæ*, ex *Matheſi ab Ariſtotele* petitus eſt, ſeqvuto morem illorum temporum, qvo ante cæteras diſciplinas Mathematicis inſtruebatur animus; adeoqve a notioribus jam ante perceptis ipſe voces has deſumebat. Verum hodie, cum mos ille in contrarium fere ſit converſus, ſatius videtur, & magis pro captu diſcentium, omiſſis obſcurioribus illis, adhibere terminos *proportionis comparatæ*, & *ſimplicis*, qvod fecit *Pufendorf. c. l.*

§. 24. *Juſtitia Commutativa* pro objecto habet itidem res & actiones in commercium venientes, ſed *ſingulorum*, in qvo imprimis ſpecifica ejus a diſtributiva differentia conſiſtit. Hic ergo ſimpliciter habetur reſpectus inter rem & rem, vel inter rem & actionem; obſervanturqve, uti in diſtributiva particulæ: *toties, qvoties*; ita hic particulæ: *tantum, qvantum*. *Qvantum tu mihi das*, v. g. *mercis, tantum tibi do pecuniæ*, & reſpectus hic ſimplex, ut ſupra dictum, alias vulgo audit *proportio arithmetica*. Uti enim in hac

hac simplex est inter numerorum differentias æqvalitas, in Geometrica autem comparata; ita hoc eodem plane modo circa justitiam usu venit. Ubi tamen observandum, qvod, cum in Justitia commutativa simplex observari dicitur æqvalitas, id pro modo æstimationis moralis intelligendum sit, ubi exiguus defectus vel excessus non attenditur.

§. 25. Neqve vero hæc justitiæ species tantum in contractibus voluntariis, qvi utriusqve partis consensu ineuntur, locum habet, sed etiam in involuntariis, qvi una parte volente, altera nolente fiunt; qvo pœnæ pertinent, per qvas inæqvalitas per delictum commissum inducta corrigitur. Ita qvi v. gr. furtum committit, habet iniqve plus, is vero, cui invito suum ablatum est, habet iniqve minus. Illi igitur iniqvum lucrum extorqvendum est, huic damnum resarciendum; & præterea reip. cujus Leges sunt violatæ, pœna debita satisfaciendum est, ut exæqventur utrobiqve lucrum & damnum. add. *Aristot. V. Eth. 7.* Similiter in stupro fœmina habet iniqve minus, virginitatem nempe, aut honorem ipsi ablatum, qvo præcipuum mulierum decus con-

ſtat, & ſi gravida ſit ex concubitu facta, ulterius iniqve minus habet, alimenta nimirum infanti præſtanda; Is vero, qvi intulit illi ſtuprum, habet iniqve plus, ad minimum voluptatem, qvam comprimendo fæminam percepit; ut igitur hæc inæqvalitas ad juſtam æqvalitatem reducatur, ſtuprata vel ipſi ducenda eſt, vel dos eidem, & infanti alimenta præſtanda. Neqve eſt, qvod contra urgeas, inæqvales ſæpe diverſis perſonis ob paria delicta commiſſa infligi pœnas, adeoqve perſonarum haberi reſpectum, qvod contra naturam juſtitiæ commutativæ ſit. Omnis enim apparens illa inæqvalitas inde eſt, qvod pœnæ conſiderantur in ſe, & nude, ſeu, ut vulgo loqvuntur, in abſtracto; cum ex adverſo omnis inæqvalitas ceſſet, ſi, ut fieri par eſt, in concreto, ſeu ut certis perſonis inflictæ ſpectentur.

§. 26. *Juſtitiæ* opponitur *injuſtitia*, qvæ nihil aliud eſt, qvam *prava actionum ad perſonas applicatio, qva jus earum perfectum violatur.* Injuſta autem actio dicitur notiſſimo vocabulo *injuria*, qvæ triplici modo inferri poteſt, prout jus alterius perfectum triplici

plici modo læditur. *Primo*, cum denegatur alteri, qvod ipsi jure perfecto debetur. Ut si rem depositam aut commodato datam finito usu dominus repetat, & depositarius vel commodatarius nulla ex justa causa reddere recuset. Diximus autem studio, *qvod jure perfecto debebatur.* Nam si ex obligatione *imperfecta* seu minus plena descendat debitum, utut non præstetur, non tamem injuria dici illata poterit. Ita qvamvis stipem qvis pauperi deneget, injuria tamen hæc dici neqvit, cum suo eam jure pauper postulare non potuerit; Utut certum sit, denegatione talis officii in jus naturæ peccari. Est enim ea horum debitorum natura, ut ex mera humanitate, non metu pœnæ, proficisci debeant. Qvod tamen exceptionem casibus duobus patitur. (1.) Si ultima necessitas subigat. (2.) Si officia hæc imperet is, qvi imperandi nobis justas rationes habet; tunc enim debebuntur ex obligatione perfecta. *Secundo* injuria infertur, si qvis alteri auferat, qvod jure adversus auferentem efficaci possidebat. Ut si qvis domino justo rem eripiat, vel si precario rem tenenti tertius eam extorqveat. Sed reqviritur, ut jus, qvo

qvis rem tenet, sit adversus auferentem efficax; secus enim si fuerit, de injuria illata nullam conqverendi causam habet. Ut si Dominus rem precario datam repetat; is enim validius, qvam possessor, jus habet, ob naturam precarii, qvod qvocunqve tempore revocari potest. Item si rem privato auferat, jure eminentis dominii is, qvi summo in civitate imperio gaudet; tum enim itidem jus possidentis contra auferentem non valet, concurrentibus scil. illis reqvisitis, qvæ in tali ablatione adesse debent. Et ratio hujus injuriæ est, qvod ex lege naturæ id cuilibet juris competit, ne citra culpam suam bonis, qvæ possidet, spolietur: cum alias hominum societas consistere non posset. *Tertio* committitur injuria, si qvis alteri inferat data opera malum, qvod inferendi penes ipsum potestas non fuit. Exempli gratia, si qvis ob delictum commissum ab incompetente judice puniatur. Sed reqviritur, ut qvis non lacessitus lædatur. Nam alias sibi imputet, qvod sua culpa provocavit læsionem; cum secundum vulgatam regulam, damnum, qvod qvis sua culpa sentit, non sensisse videatur, *l. 203. ff. d. R. I.* Qvo

R. I. Qvo pertinet illud *Arist. Nicom. L. 5. c. 15.* ὁ διότι ἔπαθε, καὶ τὸ αὐτὸ ἀντιποιῶν, ἢ δοκεῖ ἀδικεῖν. *Qvi, qvod passus est, idem vicissim facit, non videtur injuriam inferre.*

§. 27. Sed non sufficit ad hoc, ut alteri dicatur injuria illata, si qvacunqve ratione malo aliqvo præter culpam suam sit affectus; sed præterea reqviritur, ut a sciente & volente, seu data opera, ex proæresi & proposito, sit factum. Unde primo liqvet, eum, qvi usu rationis est destitutus, ut furiosum & mente captum, injuriam inferre non posse. Deinde injuriam non posse dici læsionem illam, qvæ ab ignorante vel invito processit. Ut si venator emittat jaculum; id autem fortuito hominem lædat; vel in prælio qvis socium hostili veste indutum occidat; Nam *Justum* vel *injustum factum ex ultroneo* vel *invito* colligitur. *Arist. Nicom. l. c. Delicta ex voluntate & proposito distinguuntur l. 14. ad L. Cornel. de sic. l. 53. d. furt.* Potest autem duplici modo ab ignorante & invito læsio fieri. Vel ita, ut nihil omnino ipsi imputari qveat, sed alter hanc qvasi fatalem calamitatem ferre debe-

debeat; ut si miles, dum in loco consveto se exercet, ex improviso prodeuntem hominem lædat; & talis læsio dicitur *infortunium*. Vid. §. 4. & 5. J. d. L. Aqvil. vel ignorantia orta est ex socordia aut neglectu debitæ diligentiæ, & tum læsio fieri dicitur *culpa*.

§. 28. In hujus divisione commode sequi possumus JCtos Romanos, eamqve dispescere in *latam*, *levem*, & *levissimam*. *Lata culpa* est *omissio infimæ diligentiæ*, qvando nimirum qvis nescit, aut negligit ea, qvæ qvilibet ratione utens non neglexisset; seu ut *Ulpianus* ait in *L. 213. d. V. S.* cum qvis non intelligit, qvod omnes intelligunt. Ut si qvis depositam apud se pecuniam in publico foro exponat, satisqve eam tutam ibi fore sibi persvadeat. Culpa *levis* dicitur *omissio diligentiæ mediæ*, s. *exactæ*, qvando nimirum qvis ea nescit aut negligit, qvæ qvilibet bonus paterfamilias non neglexisset. *Levissima* deniqve culpa dicitur *omissio diligentiæ exactissimæ*; cum qvis in obeundis negotiis exactissimi & diligentissimi patrisfamilias curam omittit.

§. 29. Ex-

§. 29. Cæterum qvæ culpa in singulis contractibus præstanda sit, late JCti Romani persequntur. Nos hic breviter nonnisi summas regulas, qvatenus ex Naturali æqvitate manifeste fluunt, exponemus. Nimirum (1.) *In iis negotis, ubi utraqve pars emolumentum sentit, culpa levis præstanda est.* Cujus rei ratio etiam in pacto qværi potest. Cum enim duo negotium mutuæ utilitatis gratia contrahunt, censentur se obstrinxisse, ad adhibendam communem & inter homines consvetam diligentiam. (2.) *In qvocunqve negotio solius accipientis versatur utilitas, in eo præstanda est culpa levissima.* Cum enim ex humanitate & benevolentia qvis alteri rem dat, ex qva nonnisi accipiens utilitatem percipiat, æqvum est, ut is, qvoad potest, eandem meliorem reddat; Et hinc parum fuerit, saltem in id summa diligentia incumbere, ut danti res inviolata restituatur; qvocirca obligasse se ad summam in ea custodienda diligentiam videtur. (3.) *In qvocunqve negotio solius dantis versatur utilitas, in eo præstanda ab accipiente est culpa nonnisi lata.* Hinc si accipiens in rebus suis negligens fuerit, non tene-

tenetur majorem rei talis alienæ curam impendere; cum sibi imputare debeat is, qvi dedit, qvod eam in tam negligentem hominem transtulit.

§. 30. Ad ultimum illud etiam tenendum est, nisi invitus qvis lædatur, læsionem injuriam dici non posse; qvod & vulgata regula dicitur: *Volenti non fit injuria.* Cujus ratio est, qvod debitum perfectum alteri præstandum, si volenti denegetur, ab eo donari videatur; qvod etiam contingit, si vel volenti res sua auferatur, vel non invito aliqvod malum infligatur. Qvæcunqve enim hic accidit læsio, nonnisi materialis est; formaliter autem talis dici non potest; cum ad rationem formalem læsionis reqviratur aversio qvædam animi in eo, qvi læsus dici debet.

§. 31. Divisio *legis* institui potest vel intuitu *Auctoris* seu *Legislatoris*, vel ratione *Objecti*. Respectu *Objecti*, prout nimirum lex versatur circa res necessariam convenientiam vel disconvenientiam cum natura humana habentes, vel minus. Et inde hoc respectu est vel *naturalis*, vel *positiva*. Illius, legis scilicet *naturalis*, objectum sunt res

naturæ

naturæ humanæ necessario vel congruentes, vel non congruentes. Hujus autem, *positivæ* legis, *Objectum* sunt res, qvæ nexum talem necessarium cum natura humana non involvunt. Qvænam autem res vel actiones cum natura humana necessariam convenientiam vel disconvenientiam habeant, id ex rectæ rationis dictamine colligendum est; eumqve colligendi modum in *Cap. seqq.* ex instituto explicabimus. LL. autem positivæ variis modis innotescunt, ut supra vidimus; & a mero arbitrio legislatoris proficiscuntur; qvamvis & in illis legislator ad conditionem subditorum, qvibus eas vult præscribere, respicere debeat. Sed differentia tamen duplex est. Primo, qvod plerumqve legislator in sancienda lege positiva non respiciat conditionem communem omnium hominum, sed certæ solum partis & nationis. Secundo, qvod nexus, qvem Leges positivæ cum conditione subditorum habent, in arbitrio legislatoris sit; velitne eas huic subditorum genio accommodare, nec ne; utut secus faciens imprudenter feciſse videatur. Hæc de divisione respectu *objecti*.

§. 32. Intuitu *Auctoris* seu Legislatoris dividi-

dividitur lex in *divinam*, qvæ a DEO, & *humanam*, qvæ ab homine præscripta est. *Divina* est vel *naturalis*, de qva ante, qvam nimirum DEUS cuilibet homini indidit, ut mediante rectæ rationis dictamine voluntatem divinam de actionibus certis suscipiendis vel omittendis cognoscat; vel *positiva*. Hæc rursus est vel *universalis*, vel *particularis*. *Universalis*, qvæ dirigendis omnium hominum actionibus circa res arbitrarias, h. e. necessarium nexum cum natura humana non involventes lata est; *Particularis*, qvæ nonnisi certam hominum partem seu certum populum obstringit, versaturqve vel circa *cermonias* in cultu divino observandas, auditqve *ceremonialis*, vel circa *politiam*, & dicitur *forensis*. Cæterum lex divina Universalis, quam discripsimus, vocari etiam potest *divina voluntaria*, quia objectum ejus non sunt actiones naturæ humanæ necessario convenientes, vel disconvenientes; idque ad differentiam legis divinæ *moralis*, uti vocant, quæ sola promulgatione a Lege Naturæ differt; quod nimirum hæc ex lumine rationis, illa autem ex revelatione innotescat. Esse autem a DEO in Sacra Scriptura præceptas & prohibitas nonnul-

nonnullas actiones universaliter, qvæ tamen secundum Jus Nat. indifferentes sunt, ex variis Sacræ Scripturæ locis deduci potest. Sic polygamia in primæva matrimonii institutione, *Genes.* II. omnibus hominibus est interdicta, qvod manifeste apparet ex Christi in N. Test. *Matth.* XIX. *v.* 4. ad eam facta provocatione; Prohibitio autem hæc non est Juris Nat.; qvo plures uxores habere, cum id finem matrimonii promoveat, omnino licet. Præterea pleræqve matrimonii prohibitiones, qvæ habentur *Levit. 18.* non sunt J. Nat. utpote qvo saltem in linea Collaterali nullum matrimonium interdictum videtur; & tamen omnes homines obligant ex legislatoris intentione, qvam satis aperuit *Levit. 20. v. 22. seq.* ubi ob ejusmodi nuptias exciſæ dicuntur gentes. Item supplicii capitalis pœna, qvæ dictatur homicidæ, *Genes. 9. v. 6.* universos homines respicit, & tamen Juris Nat. non est; qvamvis enim Jus Nat. puniri homicidam velit, pœnam tamen nullam determinat; qvod igitur præcise talionis pœna hic obtinere debeat, id est ex Jure divino universali voluntario, qvod nonnulli etiam Jus divinum universale in specie

tale vocant, paulo aliter legem divinam positivam, qvam nos, explicantes.

§. 33. Lex *humana universalis* nulla datur; cum omnes homines nondum sub unius imperium concesserint, legemqve ab eo acceperint. Cæterum lex humana particularis pro diversitate Rerump. varia est. In genere autem dividi solet in *scriptam* & *non scriptam*. Illa dicitur, qvæ per expressam sanctionem a Majestate præscripta est. Hæc vero, qvæ tacita ejus voluntate constat. Non igitur scriptura ad legis scriptæ, aut ejus absentia ad non scriptæ essentiam pertinet. Appellatur autem lex *scripta*, qvod ab initio, tanqvam statim integra existens, habilis est in scripturam redigi; qvæ aptitudo cum in altera specie non detur, inde *non scripta* audit, utut ex post facto, salva manente ejus essentia, literis consignari possit. Conf. §. 9. *J. d. J. N. G. & C. l. 32. §. 1. d. ll. l. 9. C. eod.* & Interpretes Juris Romani passim. Lex hæc non scripta communiter *consvetudo* vocatur; atqve ad eam introducendam reqviritur 1. Actuum uniformium non interrupta freqventia. 2. Rationalitas; ne actus sint contra legem divinam naturalem aut positivam suscepti. 3. Temporis diuturnitas.

tas. Cæterum numerum actuum, & certam mensuram temporis Jus N. non definit; Neqve etiam Jure Rom. aliqva determinatio hic invenitur; sed potius judicis arbitrio relinqvitur, ut pro substrata materia, & concurrentium circumstantiarum ratione judicet, an tacita approbatio summæ potestatis interveniisse præsumi qveat, necne. Præterea dispesci lex civilis potest in *Fundamentalem*, & *non Fundamentalem*. Illa totum Reipubl. statum concernit, & formulam complectitur regiminis civilis. Hæc autem circa ea, qvæ statum Reipubl. non immediate concernunt, versatur.

§. 34. *Cognata Legis* sunt *pactum*, *consilium*, *jus* & *permissio*. Qvæ eo majore cum cura a lege distingvenda sunt, qvo freqventius vulgo cum ea confundi solent. Differt igitur pactum in eo potissimum a lege, qvod illius vis nonnisi a spontanea arbitrii nostri determinatione dependet; hæc autem virtutem a voluntate aliena habet. vid. *Hobbes. d. Cive, cap. 14. §. 1.* Et hinc in pactis cognitio objecti cum obligatione non necessarium nexum, uti in legibus, involvit. Conf. *Pufend. d. J. N. & G. L. I. C. VI. §. 2.* Neqve proinde Veteres

accurate satis legis & συνθήκης s. conventionis vocabula synonymice usurpant. Qvamvis, si recte attendas, fatendum sit, eorum plerisqve non de legibus qvibuscunqve, sed iis, qvæ in democraticis imperiis feruntur, sermonem esse.

§. 35. *Consilii* a lege specifica differentia ea est, qvod per id, qvid optimum factu sit, sine parendi necessitate ostenditur. Conf. §. 6. *l. d. mand. l. 2. §. f. ff. eod. Hobbes d. Civ. c. l.* Et hinc, qvi consilium suppeditat, rationes ex ipso negotio eruit, qvibus alterius voluntatem inclinet; Legislator autem sola auctoritate utitur, &, si qvandoqve legum rationes subditis edit, qvod hodie in earum proœmiis fieri plerumqve videas, id non ex necessitate, sed libero motu voluntatis facit. Retulimus etiam inter cognata legis *Jus*, qvod hic non accipimus pro decreto superioris, sed pro facultate morali faciendi id, qvod lege non est prohibitum; qvæ proinde multum a lege discrepat; cum fundamentum suum in libertate, hæc autem in voluntate superioris habeat; ut hinc, qvæ usurpari hic locutiones solent, dextre accipiendæ sint.

§. 36. Juri huic, qvod alicui competit, respon-

respondet in legislatore *permissio*; qvatenus nimirum is juris illius objecto nulla lege prohibitiva moralitatem imposuit. Non igitur ponit permissio in legislatore proprie actionem, sed actionis potius omissionem; cum actiones legislatoris nonnisi in præcipiendo & prohibendo consistant. Unde constat, nullam obligationem ea, qvæ permissa sunt, comitari; cum obligatio citra decretum superioris vel præceptivum, vel prohibitivum intelligi non possit. Solent tamen indifferentia seu permissa lege qvandoqve exprimi; tum præcipue, qvando impunitati certus est statutus modus, vel qvando ea onere aliqvo est redimenda. Conf. *Pufendorf. c. l. §. 15.* ubi etiam distinctionem permissionis in *plenam*, & *minus plenam* tradit; & qvomodo fori Civilis in concedenda impunitate licentia coërcenda sit, præclare docet. Permissio legis qvandoqve etiam *præteritione* contingit; cum nimirum legislator recensendo, qvæ vetita esse cupit, omittit qvædam. Ea enim pro indifferentibus seu permissis habebuntur; nisi vel de contraria Legislatoris voluntate constet, vel iniqvitatem qvandam, & conseqventer pugnam cum Jure Nat. involvant.

Caput Qvartum.

De Legibus Naturalibus.

§. I.

Cum homo naturalem agendi facultatem a Deo acceperit, manifestum est, hac ipsum libero arbitrio, & proprio ex judicio uti posse, nisi qvatenus eandem restrictam esse intelligit. Qvæ restrictio origo omnis moralitatis est. Qvalem in Verbo revelato, nec non post institutas civitates a legislatoribus humanis varie factam esse constat. Enimvero hujus loci est, investigare, utrum Deus per ipsam qvoqve naturam, citra promulgationem expressam, agendi potentiam in homine certis finibus incluserit, an vero eadem incircumscripta, & libera relicta sit. Qva de re ut liqvido nobis constet, necessum est, ut conditionem naturæ humanæ intueamur, cum nihil evidentius sit, qvam restrictionem virium agendi naturalem ex natura etiam & indole subjecti æstimandam esse.

§. 2. Cum vero hominem consideramus, primo haud pauca deprehendimus, in qvibus

qvibus nihil ejus natura a brutorum conditione discrepat. Et præcipua qvidem convenientia in studio se ipsum conservandi cernitur. Omnia enim animalia teneram sui curam agunt, & se contra invasores studiose defendunt; & pertinacissime qvidem adversus eos, qvi vitam ipsis eripere conantur; cum qvodvis animal a nulla re magis, qvam a sui destructione, abhorreat. Unde videmus, non solum homines, sed etiam ex brutis multa, qvamvis intentatum sibi periculum evitarint, tamen perpetuo velut odio atqve aversione aggressores perseqvi, inqve vindictam suam diuturno studio vigilare.

§. 3. Præterea, qvamvis homo brutis infinitis modis antecellat, in nonnullis tamen deterioris longe conditionis est. Ita constat, majorem hominis, qvam bruti, naturalem imbecillitatem esse. Bellua enim in lucem edita non multum temporis exigit, ut carere alieno auxilio, sibiqve proprio marte de victu prospicere qveat. Qvod contra multo secus in homine est. Qvam diuturna enim, & sedula institutione opus, ut homo sibi præesse, & necessaria vitæ subsidia citra alienum auxilium sibi parare possit? Sane nisi homo homi-

ni nascenti ac tenero suppetias ferret, pauci infantes ad justam ætatem perventuri essent. Sed faciamus, adoleviſſe qvempiam citra institutionem ullam, a brutis forte enutritum; qvalem eum futurum credimus? Elingve & fædum animal, qvod famem herbis, & radicibus e terra evellendis, sitim obvio qvovis humore levabit; qvod in corporis tegmen gramine, cortice, aut foliis arborum utetur, qvod antra & latibula qværet, ac ad qvemvis strepitum trepidabit; qvod deniqve fame, siti, frigore, æstu, aut belluarum dentibus peribit. Tam imbecillum & miserum animal homo sibi relictus est.

§. 4. Amplius major longe ad nocendum in homine proclivitas, qvam in qvovis bruto cernitur. Nam duo fere sunt, qvæ bruta lacessunt, atqve ad noxam inferendam impellunt; venus ac venter. Et venereis qvidem stimulis nonnisi certis temporum articulis agitantur; qvos etiam non ad libidinis satietatem permulcent; sed ut instinctui naturali de fœtu procreando satisfaciant. Unde communiter fæmellæ, cum conceperunt, non amplius mares admittunt. Fames autem cum bruta vellicat, nonnisi necessarium

ad eam

ad eam depellendam victum qværunt, qvem ubi invenere, ſtomachiqve latratum utcunqve domuerunt, a damno inferendo fere abſtinent; niſi fortaſſe irritaveris, aut prior læſeris; tunc enim ex naturali inſtinctu in ſui defenſionem armantur.

§. 5. Hæc vero longe pejora in homine reperiuntur. Is enim voluptatum illecebris ſtimulisqve libidinis tantum non perpetuo torqvetur; & in ſexum diverſum ruit, non tam cupiditate ſobolis adductus, qvam ut acrem libidinem ſuam domet. Sic etiam ventri homo non ea ſolum, qvæ natura poſcit, ſuppeditat, ſed præterea ciborum ſvavitate corpus ſuum dulciter & jucunde vult affici, in eoqve titillantem qvandam mollitiem excitari. Veſtium etiam nulla cura belluæ tanguntur, nec vana luxus oſtentatione turgeſcunt, ſed pennis, vellere, ſqvamis, pilis & ſimilibus, qvæ natura ſuggeſſit, contentæ qvieti placide indulgent; cum ex adverſo inter homines infinita fere ſit hujus luxus æmulatio, adeo ut multos genium ſuum defraudare videas, ne qvid externo huic cultui, atqve inani ſplendori decedat.

§. 6. In eo qvoqve humanum genus

brutorum conditioni cedit; qvod nullis hæc affectibus obnoxia qviete agunt; hominem vero nunc gloriæ ſtimuli premunt, nunc anxia habendi cupido agitat; modo æmulationis ſtudio fervet, aut dolore, ſuperſtitione, & futurorum cura vexatur. Atqvi ab his cupiditatibus plerisqve bellis & contentionibus inter homines origo. Accedit peſſimum multorum Zoilorum calumniandi & cavillandi ſtudium, qvo etiam interdum mites, & pacis amantes animi, tanqvam ad ſui defenſionem & vindictam excitantur. Paupertas deniqve, & eorum, qvæ neceſſaria ſunt, inopia haud raro ad nocendum humanam voluntatem ſtimulare ſolet.

§. 7. Neqve vero ſufficit ſola lædendi voluntas, niſi ea viribus ſufficientibus nitatur. Sed nec eas in homine deficere, in aprico eſt. Primo enim efficaci manuum auxilio natura eundem inſtruxit, qvod qvidem tam validum eſt, ut facile ipſa vita per illud eripi poſſit. Deinde ſumma nocendi vis ipſi ingenio humano ineſt; cujus fraudibus & aſtu in alterius pernicieſ uti poſſit; & qvo pelle leonina neqvit, vulpina, uti vulgatum habet, perveniat. Ex qvibus liqvido apparet, nocendi voluntatem ſuffi-

sufficientibus viribus munitam in homine reperiri.

§. 8. Maximam qvoqve & admirandam prorsus ingeniorum varietatem in hominibus deprehendimus; per qvam itidem multum a brutorum conditione recedunt. Horum enim singula genera uniformi, & consimili fere appetitu ducuntur, ut qvi individui naturam ac indolem exacte noverit, huic nihil ad generis totius cognitionem desit. In hominibus vero id longe secus habet. Pauciſſimorum enim voluntates ad amuſſim conspirant. Singuli fere diversum sectantur objectum, & in judiciis ferendis, ob appetituum varietatem, perpetuo a se invicem discedunt. Imo ex ipsis individuis humanis nullum est, qvod non dissimile sibi qvandoqve sit, & cujus voluntas non modo in hoc, modo in illud objectum propendeat, & nunc in hanc, nunc in illam partem feratur.

§. 9. Ex conditione autem humanæ naturæ hactenus considerata liqvido apparet, non posse humanum genus esse salvum, si qvisqve libero arbitrio, &, prout animi libido suggerit, naturalem agendi facultatem adhibeat. Igitur hanc per ipsam naturam certis fini-

finibus a Deo circumscriptam esse oportet. Qvi fines *Legum Naturalium* appellatione venire solent. Qvas proinde commode definimus, qvod sint *Regula homini a Deo per lumen naturæ præscripta, qvæ voluntatem Divinam de actibus qvibusdam suscipiendis vel omittendis declarat.*

§. 10. His vero legibus soli homines reguntur; neqve iisdem cum belluis communes sunt. Qvocirca virtutes & vitia non citra figuram his tribuuntur, neqve a communione actuum qvorundam ad communionem juris valida est consecutio; qvamvis non infreqvens sit, ut in illis sceleribus, qvæ cum brutis commissa sunt, puniendis hæc qvoqve, ne turpium factorum memoriam refricent, aboleantur.

§. 11. Cum vero restrictio illa humanarum agendi virium, ex qva proprie moralitatem naturalem seu Jus Naturæ resultare vidimus, nihil aliud sit, qvam Voluntas Divina per dictamen rationis promulgata, inde manifestum est, qvod illi, qvi juris hujus objectum qværunt in actibus sua natura, & intrinsece bonis vel malis, moralitatis originem non recte assequantur, &, dum voluntatem Divinam

nam ab ea excludunt, principium aliqvod æternum Deo contradistinctum admittant. Exempla vero ejusmodi actionum, qvas objective atqve intrinsece morales dicunt, omnia ita comparata sunt, ut nulla eorum definitio sine expressa, vel saltem implicita legis mentione dari possit. Ex qvo tamen haud consequitur, potuisse Deum præcipere ea, qvæ vetuit, & contra prohibere, qvæ homini agenda injunxit. Cum utiqve planum sit, Deum, cum creaturam rationalem & socialem, qvæ est hominis definitio, producere vellet, non potuisse præcipere, qvæ hanc ejus naturam destruant, aut vetare, qvorum exercitium cum salute & conservatione ejus necessario cohæreat; nisi qvidem, qvod de Deo dicere absurdum, atqve blasphemum est, voluntati suæ contravenire, fineqve in creatione hominis intento excidere vellet. Unde liqvet, actus illos, qvi objectum juris Naturæ constituunt, sua natura indifferentes esse, & omnem moralitatem suam demum a libera Voluntate Divina accepisse; adeoqve non posse bonos vel malos dici, nisi hoc fortasse sensu, qvod originem moralitatis suæ non demum ad leges positivas, sed ipsam legem Naturæ referant.

CAPUT

Caput Qvintum.

de Principio Legum Naturalium.

§. I.

Cum insitam qvandam in mente humana, connatamqve normam dari, secundum qvam omnium hominum actiones dirigendæ sint, in antecedentibus demonstratum sit; proximum est, ut genuinum ejus *Principium* indagemus. De qvo anceps semper ac difficilis visa est qvæstio, qvæ hactenus mirum in modum ingenia sapientum exercuit. Nos in re maximi momenti libero animo, & ab omnibus præjudiciis vacuo acturi sumus, nec qvicqvam nisi certum, & liqvida demonstratione suffultum admittemus.

§. 2. Faciunt autem Philosophi principium duplex, aliud *essendi*, aliud *cognoscendi*. Illud, qvod nemo in dubium revocat, intuitu Legis Naturæ est *Voluntas Divina*. Qvod enim aliud præceptum, aliud prohibitum, aliud moraliter bonum, aliud malum, illud faciendum, hoc fugiendum est, ejus ultima

ultima ratio in hoc Principium, *Deus sic voluit*, resolvitur. Enimvero in hoc omnis difficultas sita est, unde Voluntas hæc Divina certo colligi, & infallibili ratione cognosci possit. Adeoqve omnis qvæstio in *Principio cognoscendi* eruendo vertitur.

§. 3. Qvamvis autem in tali principio investigando diversissimas vias scriptores insistant, in eo tamen fere consentiunt, qvod generalia qvidem Jutis Nat. capita perspicua sint & cuivis sanæ mentis obvia, particularia vero præcepta nemini innotescant, nisi qvi vel insigni acumine ingenii polleat, vel qvi eorundem cognitionem peculiari institutione perceperit, vel saltem tenaci industria animum exercuerit, ut, qvomodo specialia a generalibus dependeant, & qva ratione ex primo principio per ambages fluant, sedulo sit perscrutatus. Enimvero, qvibus hæc philosophia placet, non satis animadvertere videntur, tolli hoc modo ab ipsis juris hujus obligationem saltem qvoad nonnulla subjecta, ea nempe, qvæ infelix natura ad obtusiorem ingenii aciem damnavit, qvorumqve vitæ ratio, qvam seqvuntur, non permittit, ut tantum temporis, qvantum amplitudo hujus disciplinæ exigit,

git, in ea haurienda consumant; in qvem censum vulgus, maxima hominum pars, referri debet.

§. 4. Qvod ut rectius intelligatur, notandum est, qvod in omni eo, qvi per legem obligandus, duplex debeat esse facultas, *dirigibilis* una, altera *cognoscens*. Illius actus subjectum moralitatis constituunt; hujus vero actus sunt media eandem recipiendi. Qvæ ubi deficiunt, neqve lex, neqve obligatio locum invenire potest. Imo insignis est imprudentia, aut omnino, si recte attendas, contradictio, ad jussa non patefacta obligari. Qvare operam dare solenr, vel certe debent, qvi leges sanciunt, ut qvam evidentissimus earum tenor fiat, neqve cavillationi, aut contortæ interpretationi ex se locum relinqvant. Unde fluit, qvod, qvo magis consilio & sapientia, ut & bonitate legislator aliis præstat, eo clariore modo promulgandi in legibus suis utatur, neqve committat, ut earum neglectus ullo ignorantiæ aut obscuritatis prætextu jure excusari possit. Ubi vero neqve legis sententia evidens est, neqve ejusdem ratio & qvalitas permittit, aut certe vitæ tenor, ut peritiores consulantur, nullo modo æqvitas illius

illius pœnæ defendi poteſt, qvæ in actum contra talem legem ſuſceptum ſtatuitur. Ex qvo conſeqvitur, Leges Naturæ faciles eſſe perceptu debere, earumqve, etiam ſpecialiſſimarum, notitiam in qvemvis ex vulgo, qvi maturæ ætatis, & ſanæ mentis ſit, ſufficienter cadere. Nam Deus & Sapientiſſimus, & Optimus eſt, ut & ſciat qvam evidentiſſime promulgare leges, qvarum vinculo homines adſtrictos cupit, & idem qvoqve velit.

§. 5. Ex his autem manifeſtum eſt, ad *Principium Cognoſcendi* Juris Naturalis tria reqviri. *Unum* eſt, ut *univerſale* ſit, hoc eſt, tam late pateat, ut omnibus Juris Naturæ præceptis ex æqvo & adæqvate reſpondeat, eademqve ſuo ambitu comprehendat; atqve adeo ea omnia, qvæ ex illo derivari haud poſſunt, inter indifferentia, & libero hominum arbitrio relicta ponenda ſint. *Alterum*, ut ejus veritas ex ſolo Naturæ lumine evidenter innoteſcat. Nam ſi ea aliunde, qvam ex dictamine rationis, petenda ſit, Juris Naturæ diſciplina illis gentibus, qvæ revelationis ſanctitatem haud agnoſcunt, parum profutura eſt. *Tertium* reqviſitum eſt, ut tale principium omnibus, etiam plebejis, hominibus in proclivi

sit; & particularia qvævis Juris Nat. præcepta cum generalibus pari facilitate ex eo fluant & cognoscantur.

§. 6. His ita præmissis, nunc paulo curatius investigandum, an ea, qvibus hactenus Juris Nat. disciplina superextructa est, Principia nominis hujus mensuram impleant, adeoqve ita comparata sint, ut, qvid naturaliter a Deo præceptum, qvidve prohibitum sit, ex illis in continenti, & citra difficultatem dijudicari possit. Qvodcunqve enim tale non fuerit, illud pro falso, & spurio deinceps habendum erit.

§. 7. Palmam vero hactenus tulisse, & maximo omnium applausu excepta esse videtur eorum sententia, qvi *rectam rationem* disciplinæ huic pro fundamento substernunt; ut *qvicqvid illa homini dictitat, a Deo præceptum, & qvicqvid ex adverso damnat, naturali lege sit interdictum.* Bene certe, si constaret, qvid sit *recta ratio.* Hanc enim qvi allegant, id dicunt, qvod neqve ipsi, neqve alius qvisqvam intelligit, aut capit. Nam illud *rectum* aliunde cognosci debet; id vero, ex qvo judicii in ratiocinando rectitudo æstimatur, est illud ipsum principium, qvod qværimus.

mus. Hujus enim vis omnis in eo consistit, ut per illud homo certus reddatur, rationem suam in bono, vel malo morali discernendo rectam esse. Unde vero, qvæso, colliges, rationem tuam non falli, sed in judicando rectam esse; cum alii non minus sapientiæ laude præstantes in contrario evincendo & ipsi recta se ratione uti dicant? Et qvotusqvisqve eruditorum est, qvi, si aliqvem a sua opinione discedere intellexerit, eum mente satis sibi constare putet; nec potius inter abjecti animi indicia reputet, dissentientes non pro stupidis habere? Neqve vero hic qvisqvam suam rationem jure prætulerit, nisi in propria causa, hoc est, ingenii sui productione æstimanda se judicem sine populi suffragio constituere audeat. Nihil ergo, qvi pro hoc principio pugnant, mihi dixisse videbuntur, nisi, qvid per *rectam rationem* velint, prius clare definiant, & explicent; ubi se ita implicari sentient, ut, si ingenue velint agere, mera hæc verba, sine conceptu reali esse, facile confiteantur.

§. 8. Nihil etiam agunt, qvi principium Juris Naturæ *Cultum Divinum* esse contendunt, ex qvo Leges Naturales ita deductum eunt, ut actum omnem, per qvem co-

latur Deus, velint honestum, præceptumqve esse, & contra turpem & vetitum, qvo Deus offendatur. Hanc enim hypothesin maxima obscuritate laborare, nihilqve solide ex illa derivari posse, in aprico est. Nam illud qværitur, qvinam sint illi actus, qvibus gratum Deo cultum exhibeamus, & rursus qvi actus tales sint, ut Deo nos, si perpetrentur, invisos reddant. De qvo ex hac hypothesi nullum judicium sine manifesta principii petitione ferri potest. Pari se difficultate involvunt illi, qvi *amorem Dei & proximi* pro fundamento Juris Naturæ venditant. Qvippe novo fundamento & norma opus est, juxta qvam amor ille exigatur; ut eundem verum, laudeqve dignum, non spurium & fucatum esse constet.

§. 9. Neqve etiam desunt, qvi in definiendis præceptis Naturalibus ad Decalogum recurrunt, qvam methodum, tanqvam ab ipso Deo monstratam citra ambages seqvendam esse monent. Enimvero Leges N. a Deo speciali modo promulgatas, atqve Decalogo comprehensas esse, ex sola revelatione, qvam non omnes gentes agnoscunt, constat. Disciplinam autem Juris Naturalis tali Principio

cipio inniti oportet, cujus cognitio ex solo lumine Naturæ hauriri possit. Pari vitio etiam illa hypothesis laborat, qva leges Naturales jnxta indolem statvs integritatis æstimantur. Status enim ille ex sola revelatione innotescit; neqve de eo qvicqvam lumen rationis sibi relictæ dictitat.

§. 10. Sunt etiam, qvi ex *Amore Intellectuali*, qvid justum, qvidve injustum sit, metiendum esse statuunt. Sed hos, cum explicare nesciant, qvid per *amorem* illum sibi velint, ad argumentum hoc illustrandum nihil attulisse, manifestum est. Et oportet eum valde acuto ingenio esse, qvi vel generalissima Juris N. præcepta firmo nexu ex hac hypothesi demonstraverit; tantum abest, ut integræ disciplinæ pro fundamento inservire possit.

§. 11. Non minus incongruam hypothesin fovet *Hobbesius*, cum *Leviath. c. 14. & Elem. d. Cive c. 1. §. 7. omnium in omnes bellum*, & cum eo connexum *propriæ salutis studium* pro fundamento ac principio Juris N. jactat. Apparet enim, generis humani vinculum per eandem non conservari, sed penitus dissolvi. Sic enim facile qvis prætextu salutis

propriæ, vel naturalis belli, alios pro lubitu aggredi, pacta violare, & qvamvis impietatem exercere possit. Taceo, qvod cæteris genuini principii reqvisitis eandem destitui, in aprico sit.

§. 12. Illa vero nostro hoc ævo haud incelebris opinio est, qvæ universum Naturæ jus ad *Voluntatem Divinam*, velut primum fundamentum, refert. Eaqve certa est, & a nemine sanæ mentis in dubium revocatur, siqvidem de Principio *essendi* & *obligandi* sermo sit. Enimvero in ratione, qva Voluntatem illam cognosci oporteat, investiganda omnis difficultas vertitur. Inter modos autem cognoscendi eam ponuntur (1.) Motus & instinctus intrinseci in homine. (2.) Creatoris actiones; creatio & conservatio rerum. (3.) Actionum finis necessarius, atqve probabilis. (4.) Medii necessitas. (5.) Attributa Creatoris, perfectio, & sapientia.

§. 13. Verum, re penitius considerata, existimem, memoratas cognoscendi rationes partim a *Pufendorfiano* Principio, *socialitate*, nihil differre, partim ita comparatas esse, ut nihil certi ex iis liqvido demonstrari possit. Qvid enim, qvæso, rerum, qvæ apparent,

rent, conſervatio aliud infert, qvam ad vitam ſocialem exigendam hominem productum eſſe, & hinc juſſum facere ea, qvæ huic neceſſario conveniuut, & ex adverſo omittere, qvicqvid eandem deſtruit vel abrumpit? Per finem neceſſarium ac probabilem id ſignificari videtur, res omnes a Deo, nihil fruſtra faciente, ob aliqvem finem creatas eſſe, & probabiliter eum in finem, ut homo eas in ſuum commodum convertat. Inde vero nonniſi hoc colligitur, licere homini rebus a Deo productis uti; modus vero & ratio utendi aliunde repetenda eſt. Idem de *medio* ſentiendum, qvo homo conſervari, & jus a Deo conceſſum obtinere poteſt. Medium enim illud ex eodem principio dependet, unde ipſius juris a Deo conceſſi cognitio hauritur. Nec minus obſcurum eſſe videtur, Attributa Creatoris huc arceſſi; qvamvis eorum contemplatione in Principio inveſtigando opus eſſe, negari neqveat. Qvod deniqve circa fundamentum Juris N. mentio fit inſtinctus, id lubricum, & infirmum. Cum & falſo allegare qvis inſtinctum ad aliqvod objectum poſſit, & ſæpe averſatio atqve horror qvidam in homine deprehendatur circa objecta per ſe in-

differentia, qvæve nihil qvicqvam turpitudinis involvunt. Instinctui igitur qva tali, nihil omnino in disciplina Juris Naturæ tribuendum. Dico *qva tali*. Secus enim fuerit, si solida ratio in eo subsit, qvæ tamen nonnisi ex alio principio reddi potest.

§. 14. Sed jam alia se nobis offert, apud multos celebrata, & nostris præsertim temporibus ab Illustri qvodam ingenio exculta hypothesis, qvæ universum Naturæ jus in *Socialitatem*, tanqvam primum principium, resolvit. In qva non ego qvidem illa, qvæ vulgo afferri solent, jure reprehendi posse censeo. Sed duplex tamen difficultas obstare videtur, qvo minus universalis cujusdam, & totam hanc disciplinam suo ambiru complexi principii vicem sustinere possit. Primo enim manifestum est, non ita in proclivi esse, qvid sit *socialitas*; & si vel maxime eam ita explices, ut ea omnia, qvæ ad conservandam humanam societatem faciunt, Jure N. præcepta, & qvæ eidem repugnant, prohibita esse dicantur, hæc tamen qvænam sint, non æqve expeditum est. Unde, qvod nemo cordatus abnuat, ipse *Pufendorfius*, qvi hypothesin illam e veterum scriptis erutam magno seculi applausu exco-

excoluit, & perpolivit, in particularibus Juris N. præceptis exponendis haud raro extra limites exerrat, neqve ex ſuo principio, qvod par erat, ſed mera æqvitate, pro qva ſæpius in utramqve partem argumenta ſuppetunt, dictata rectæ rationis derivat; aliqvando plane hæſitat, ſententiæ incertus, veluti, in qvam partem eundum eſſet, non appareret. Enimvero nihil ego facilius exiſtimem, qvam ex demonſtrato, ſuisqve difficultatibus expedito principio, cognoſcere, qvid circa qvidlibet Jus Naturæ diſponat. Niſi enim hæc indoles principii fuerit, illud tanqvam ſpurium ſupra rejecimus. Altera difficultas eſt, qvod omnium, qvi pro hac hypotheſi propugnant, confeſſione officiorum, qvæ homini erga Deum obeunda ſunt, neceſſitas nonniſi indirecte ex ea fluat; cæterorum autem officiorum ratio longe evidentius hinc innoteſcat. Atqvi fundamentum, qvod univerſæ morum diſciplinæ ſubſternendum eſt, ita perſpicuum eſſe debet, ut qvivis ſanæ mentis directo ac pari facilitate omnia officia ex eo liqvido cognoſcere poſſit.

§. 15. Enimvero qvamvis hæc non citra rationem & ſpeciem contra hypotheſin il-

lam urgeri qveant, facile tamen est. ea, qvam illa monstrat, via ingresso indubitatam veritatem eruere, & simul memoratas difficultates declinare. Qvocirca periculum ejus faciemus, operamqve dabimus, ut methodum demonstrandi Jus Naturæ, qvæ adæqvati Principii numeros absolvat, inveniamus. Ad hoc autem, ut indolem humanæ naturæ denuo consideremus, opus esse videtur.

§. 16. Ubi vero in se descendit homo, suamqve naturam attentius intuetur, deprehendit, inbecille se animal a Deo productum, qvod sibi solum haud sufficiat, sed aliorum auxilio ad vitam conservandam opus habeat, in qvo vel ipsis belluis deteriore se conditione esse animadvertit. Productus igitur a Deo est, & eum in finem productus, ut conservaretur, non ut periret. In qvo errare non possum. Est enim Deus Ens Sapientissimum, qvod nihil frustra facit, & Optimum, qvod interitum creaturæ rationalis, qvam produxit, velle non potest. Nihil enim Sapientiæ, & Bonitati summæ magis repugnat, qvam frustra aliqvid efficere, & qvod effectum est, servare nolle. Idem tota hominis structura innuit. Nam & ratio non alium in fi-

in finem homini a Deo insita esse videtur, qvam ut illa in sui, aliorumqve utilitatem recte uteretur; & membra corporis humani usu, cui inserviunt, haud obscure declarant finem, qvem in ipsorum productione Deus intendit. Unde seqvitur, cum Deus hominem produxerit, ut servaretur, injunxisse simul eundem id omne ipsi, sine qvo conservatio illa obtineri neqvit. Qvippe nihil naturale magis, qvam eundem, qvi efficaciter vult finem, media etiam velle, sine qvibus ille acqviri non potest. Hæc ergo apodictico cohærent nexu: Deus hominem produxit. Ergo conservari eundem vult, & conseqventer id omne ipsi præcepit, qvo intermisso conservari neqvit.

§. 17. Ex his jam duæ propositiones fundamentales fluunt, qvarum una præceptis, altera prohibitionibus Naturalibus adæqvate respondet. Prior hæc est: *Qvicqvid ita comparatum, ut, si ab omnibus hominibus omitteretur, generi humano pereundum esset, illud per legem Naturæ a Deo præceptum.* Posterior huc redit: *Qvicqvid ita comparatum, ut, si ab omnibus hominibus fieret, generi humano pereundum esset, illud naturaliter a Deo prohibitum.* Clarissimum hoc, ut puto, & certissimum

mum Principium ex consideratione naturæ humanæ vel levi tantum sponte resultat; cujus proinde cognitio in omnes sanæ mentis, etiam de vulgo cadit. Nec minus adæqvatum est, a qvo totius Juris Naturæ cognitio dependet. Neqve ad deducenda inde hominis officia magno acumine opus est. Qvippe eadem facilitate particularia qvævis & specialia præcepta ex eo fluunt, qva generalia. Neqve hæc deductio per longas ambages & consecutionum seriem procedit. Nuda subsumtione in qvocunqve obveniente casu, & actu mentis breviter in se genusqve humanum reflexo opus est.

§. 18. Cum enim Naturale jus sit, qvod Natura insinuat; inde qvicqvid hic sciri, & cognosci potest, a consideratione humanæ naturæ petendum est. Nihil autem in ea manifestius, qvam suis eam limitibus terminari, seu finitam esse, adeoqve ab alio, nempe Deo, pendere, qvi proinde velit eam servari, & per necessariam consecutionem omitti, sine qvibus hic finis obtineri non potest. Non hic sudandum diu, neqve profundiori meditatione opus; cum id non possit non constare, & veluti primus de se conceptus esse ei, qvi

supra

supra actus suos reflectere novit, h. e. se hominem esse meminit. Trita etiam loqvendi consvetudo hoc satis insinuat, qva passim ad naturam humanam recurritur, cum vulgus aliqvem iniqvitatis contra insitam hanc legem convincere instituit.

§. 19. Enimvero qvia totius Disciplinæ hujus fundamentum huic principio innititur, operæ pretium fuerit, eidem considerando tantisper adhuc immorari. Nam si ad liqvidum perductum fuerit, posse a qvovis maturæ ætatis, sanæqve mentis facillimo negotio in qvocunqve, etiam rarissime obveniente, casu cognosci, qvænam circa eundem dispositio Juris Naturalis sit, non solum maxima, qvæ plerisqve videtur, difficultate defunctus ero, sed etiam in aprico multos errores ponam, qvi circa moralia tradenda vulgo committi solent. Et revertor hic qvidem ad eundem fontem, naturæ scilicet humanæ considerationem. Hæc enim cum universo Juri Naturæ cognoscendo inserviat, specialium qvoqve casuum moralitatem determinabit. Ubi illud manifestum, naturam humanam in se omnibus individuis humanis æqvaliter competere; unde conficitur, qvod est palmarium, licere eo-

dem

dem tempore pari omnino jure omnibus in te, & ipſis inter ſe mutuo idem, qvod tibi vi naturæ tuæ, ſeu vi juris Naturalis licet. Unde rurſus fluit, ad determinandum, utrum actus conſervationi humanæ naturæ neceſſario nexu cohæreat, an ab eadem abhorreat, non conſiderandum eundem individualiter & ſeparatim, ut exiſtimes, qvia, eo a te ſuſcepto, non periclitetur generis humani ſalus, inde nec eum neceſſario illi diſconvenire, adeoqve nec contra jus N. eſſe. Qvippe eodem tecum jure qvilibet alius pares circa eundem actum cogitationes fovebit, & emerget neceſſaria cum genere humano diſconvenientia, qvæ antea ſub individuali actus conſideratione latebat. Qvippe ſi actus alicujus naturalis moralitas inveſtiganda, continuo fingendum, exercitium ejusdem ab omnibus hominibus introduci, & recipi; qvodſi inde ſocietatis humanæ ſalus convellatur, indicio eſt, actum neceſſario humanæ naturæ repugnare, adeoqve in numero vetitorum eſſe, præceptum autem, qvem ſi ponantur homines communiter omittere, idem interitus metuendus foret. Ubi vero neceſſaria ejusmodi ad naturam humanam habitudo deficit, nulla qvoqve

qve Juris N. disposítio datur, adeoqve actus, tanqvam indifferens, libere susçipitur, & intermittitur, nisi per legem positivam in vetitum fortasse iverit.

§. 20. Ex iis vero, qvæ hactenus de genuino Juris Naturalis principio dicta sunt, facile jam perspicere licet vanitatem litium, qvæ tanto fervore, atqve ambitione circa moralia agitari solent. Cum enim primo statim intuitu circa qvamcunqve qvæstionem dispositio Juris N. manifesta sit; magna sane temeritas, & pertinacia fuerit, in contrariam partem abire, eiqve defendendæ tam acri impetu incumbere. Illud præterea liqvet, morem vulgo receptum de Moralibus ita differendi, ut primo probabiles assertionis rationes prolixe adducantur, & deinde vis argumentorum obstantium operose elidatur, minus congruum esse. Nam satis est, ut ex hactenus deductis consequitur, ad demonstrandam actus alicujus naturalem vel præceptionem, vel prohibitionem, ejusdem necessarium cum natura humana nexum vel disconvenientiam eviciſſe, ad qvod non prolixa disputatio, aut rationum ambitiose cumulatarum acervus reqviritur; sed directa judicii norma sufficit, actusqve men-

mentis in humanæ naturæ considerationem breviter reflexus, qvo ipso sponte collabitur rationum, argumentorumqve vis, qvæ pro contraria sententia fastidiose adduci solent.

§. 21. Amplius apparet, Principium hoc nostrum unicum esse, adeoqve non posse aliud dari, qvod Juri N. pro fundamento substerni qveat. Unde qvodcunqve aliud principium vel falsum omnino est, vel extra circum rationis positum, vel cum nostro hoc ultima resolutione coincidit. Sed nec eos patet in recto veritatis tramite consistere, qvi haud necessarium esse credunt, in cognoscenda Juris Naturalis dispositione eandem viam insistere, plures modos suppetere persvasi, qvibus in eam se cognitionem penetrare liceat. Neqve enim animadvertere videntur, qvod, sicuti simplicissima Juris species est lex Naturalis, hominesqve omnes, etiam obtusæ mentis obstringit, ita per viam simplicissimam & omnibus in proclivi positam eadem promulgata sit. In qvo plura autem principia ea, qvæ cognoscenda sunt, distringuntur, eo difficiliora eadem intellectu esse, manifestum est. Accedit, qvod, ut ante dictum, nullum aliud præter unum detur, cujus non

vel

vel falsitas, vel in aliud prius, nostrum videlicet, resolutio aperte demonstrari qveat.

§. 22. Ex his autem liqvido constat, qva ratione promulgatio legum Naturalium facta sit. Nempe per hoc ipsum, qvod Deus homini vires sufficientes dedit, qvibus naturam suam contemplari, & ex hac consideratione, qvid necessarium cum ea nexum, vel disconvenientiam involvat, qvidve sibi faciendum, adeoqve honestum, qvidve omittendum, & hinc turpe sit, evidenter colligere possit. Et qvia promulgatio hæc omnibus hominibus facta est, liqvet, eos omnes etiam Jure N. obligari. Qvo intuitu Divinus Scriptor gentiles ἀναπολογήτους vocat, qvod cordibus ipsorum inscriptis legibus disconvenienter agant. Hinc multum fallitur *Hobbesius*, cum initium promulgationis legum Naturalium, & conseqventer etiam obligationis ad tempus revelationis earundem in S. Scriptura factæ restringit. Neqve enim ad vim obligandi legis qvicqvam facit determinatus promulgandi modus; & nihil interest, sive eam legislator in scriptis, sive alia, modo sufficienti, ratione manifestet.

Caput Sextum.

De Objectionibus contra hoc Principium.

§. I.

QVamvis ea, qvæ hactenus pro genuino Juris N. principio adduximus, tam clara ac manifesta sint, ut qvemvis cordatum ejus veritatem facile agniturum esse sperem, non tamen abs re fuerit, dubia præcipua, qvæ contra illud moveri, & imperitis præsertim fucum facere posse videantur, præoccupasse. Et qvia aliqvi monuerunt, easdem difficultates nobis objectum iri, qvæ *Pufendorfianam* hypothesin urgeant, operæ pretium facturus esse videor, si, illas Principio nostro nihil qvicqvam obstare, ostendam.

§. 2. Primum ergo neminem fore confidimus, qvi nobis objiciat, Principium hoc *inadæqvatum esse, nec officia erga Deum, & seipsum ambitu suo complecti.* Cum in aprico sit, utraqve pari omnino facilitate cum officiis erga proximum exercendis ex eodem liqvido cognosci. Remove enim cultum Numi-

Numinis Divini, & vinculum humanæ conjunctionis tolles; citra qvod nulla unqvam Resp. nedum universa hominum societas, illæsa stetit. Ceremonias autem, qvibus Cultus Dei externus absolvitur, haud definit Lex naturæ, sed eas cujusqve arbitrio relinqvit.

§. 3. Nec major difficultas in officiis, qvæ homini erga seipsum obeunda sunt, ex hoc principio demonstrandis. Qvod ut cuivis palpabile sit, brevem eorum demonstrationem subjiciemus. Revocari autem illa omnia ad hæc fere præcepta qveunt. (1.) *Ampiectere aliqvod, idqve honestum vitæ genus.* Secus enim si esset, & qvisqve inutile pondus terram premeret, nulla societas stare posset; cum hominum inter se conjunctio per hoc ipsum, qvod unus alterius necessitati subveniat, præcipue conservetur. (2.) *Annitere, ne corpori idonea alimenta desint.* Cum enim laborat afflictum corpus, animus functiones suas minus recte obire potest. Qvod si fingas ab omnibus hominibus fieri, eorum societatem destrui necessum foret. Unde nec (3.) *Vires corporis attere*, ob eandem rationem. Neqve enim qvis infirmo, effœtoqve corpore multum generi humano prodest; cum & pleræqve

res corpore gerantur, & animi alacritas fulturis ejus sustineatur. Unde simul omnis intempestivus labor & intemperantia in cibo potuqve, nec non Venere prohibetnr. Multo magis autem αὐτοχειρία, & sui vulneratio. (4.) *Mentis tranqvillitati stude.* Qvia nulla capitalior aut gerendis negotiis magis inimica pestis est, qvam perturbatio, qvæ animi oculos præstringit, eundemqve ad vitæ partes recte obeundas fere ineptum reddit; qvo ipso non potest non generis humani salus periclitari. Sed nolo huic dubio diluendo diutius immorari, ne forte lectorem stupiditatis arguere videar, qvi rebus per se manifestis operam tam anxie impendam.

§. 4. Illud dubium majoris momenti apud vulgus videri possit, cum aliqvi hunc in modum colligunt: Si nullum Jus N. sit, nisi in respectu ad societatem humanam, qvid futurum de eo tempore, qvo Adamus solus ante productos alios homines vixerit? Nullis Naturæ legibus obstrictum eundem fuisse, secundum hanc sententiam dicendum esse, atqve adeo integrum illi relinqvi, illo qvidem tempore colere Deum, vel non colere, patrare fœda alia, vel non patrare, qvod tamen absur-

absurdum esse, nemo non videat. Eandem rationem esse hominis a societate humana remoti, qvales sint Eremitæ; hos enim tali dogmate vinculo Juris N. solvi; atqvi certum esse, illos ad colendum Deum teneri, atqve ad ea, qvæ LL. Naturæ repugnent, vitanda. Enimvero accurate observandum est, qvod negata actualis existentia societatis non impediat, qvo minus officia qvædam Juris N. exerceantur; non qvod ex alio, qvam qvod a nobis explicatum est, principio dependeant, sed qvod ad ipsam societatem aliqvando extituram respectum habeant. Ita Adamus, cum solus terram inhabitaret, inqve se ipsum seductus naturam suam contemplaretur, evidenter intellexit, ad societatem cum aliis hominibus a Deo producendis colendam se productum esse. Qvi respectus ad futuram societatem jam constituit fundamentum officiorum omnium, qvæ in statu illo solitario exercenda fuerant. Fac enim, eundem contempto Numinis Divini metu, turpibus factis animum corrupisse, qvin hoc modo ad societatem cum aliis hominibns deinceps productis inutilis fuisset, nemo non intelligit.

Unde etiam ad exemplum de Eremitis facillima responsio.

§. 5. Qvod vero nonnulli urgent, *prædones atqve latrones etiam societates colere, neqve tamen vitam Juri Naturali conformem agere*, inane est, si nostræ hypothesi opponatur. Latrones enim & grassatores illi in Jus N. peccant, qvia non colunt magnam illam societatem, cujus & ipsi cives ac membra sunt. Neqve ob aliam rationem particularis ipsorum conjunctio illicita est, qvam qvia ad perniciem generis humani tendit. Fac enim, liberum qvibusvis hominibus esse, coire, agmina jungere, prædari, aliosqve per improvisa facinora circumsidere; hoc modo nemini de sua salute per momentum cautum erit; sed perpetuus horror ac metus homines torqvebit, deniqve mutua clade confecti omnes perituri essent. Qvia igitur Deus homines produxit, ut servarentur, non ut interirent, hinc necessario prohibuit, ne ita se gererent homines, ut sibi invicem perniciem maturarent. Per qvam prohibitionem manus qvasi homini injecit, ne sic facultatibus suis uti possit, ut inde conjunctionis humanæ salus turbetur. Hoc autem fieret, si qvis in particularem qvidem

dem cœtum, cui addictus est, nihil mali moliatur, aliorum tamen, qvi extra istum cœtum agunt, tranqvillitatem violet. Id enim si ipsi Jure N. permissum, omnibus aliis hominibus eodem jure concessum esset; eoqve ipso cujusqve etiam particularis societatis salus turbaretur. Unde liqvido consequitur, nemini Jure Naturali licentiam indulgeri, qvicqvam damni aliis hominibus inferendi.

§. 6. Qvod ut clarius aliqvanto illustremus, concipi fortasse haud inepte humana societas possit per modum qvantitatis continuæ. Qvemadmodum enim in hac nulli particulæ motus infundi potest, qvi non eodem tempore simul omnibus ejus partibus cæteris communicetur, adeoqve tota simul qvantitas in aliorum corporum viciniam transferatur; sic pari modo, si cuipiam fingatur Jure N. licentia data esse, cuiqvam extra particularem, in qva vivit, societatem nocendi, eadem licentia omnibus hominibus reliqvis eodem tempore, eodemqve modo data est; cum hoc intuitu homines indivulso, & qvasi continuo nexu inter se cohæreant, ut qvicqvid juris individuo est, id ipsi non qva tali competat, sed qvatenus partem subjectivam

speciei humanæ efficit. Qvamobrem cum qvis certo se concilio associat, ut fiat civis particularis, hoc ipso magnæ illius hominum inter se societatis civis esse haud desinit, & hinc munera eidem adhærentia exercere tenetur. Neqve etiam renunciare huic Juri Civitatis potest, nisi simul conditioni ac naturæ humanæ renunciare, adeoqve in censum brutorum venire velit. Qvo ipso etiam enerve redditur argumentum, qvod aliqvi inde petunt, qvod humanæ societatis custodia nonnisi communem hominum utilitatem complectatur, qvam deserere, eoqve simul obligationem Juris Naturalis abrumpere, integrum ipsis sit. Neqve enim in definiendis legibus Naturalibus eorum, qvæ utilia, sed qvæ neeessaria ad conservandam societatem humanam sunt, ratio habetur; ad hæc autem facienda sibi obligationem incumbere, qvisqve, dum hominem se meminit, liqvido cognoscit.

§. 7. Illud etiam hypothesi nostræ fortasse aliqvis objiciat, qvamvis ex ea definiri qveat, qvod Deus hoc vel illud voluerit, non tamen inde probari posse, ipsum nihil præterea voluisse, & reliqvas actiones omnes indifferentes esse; cum eo se modo velut arbitrum Divino-

Divinorum consiliorum homo constituere videatur. Enimvero nisi admittamus, Voluntatem Divinam circa ea, qvæ homini agenda, vel omittenda sint, plene & liqvido eidem promulgatam esse, non apparet, qvomodo per eam obligari qveat; cum vinculum legis sufficientem ejus cognitionem semper præsupponat. Legum porro Naturalium promulgatio per lumen rectæ rationis facta est; unde qvicqvid ex hoc per legitimam consecutionem deduci neqvit, illud nec Deum velle, recte colligitur. Norma vero hujus rectitudinis præter eam, qvæ a nobis exposita est, nulla alia demonstrari potest, ex qva præceptum, vel prohibitionem Divinam clare ac distincte derivare liceat. Qvocirca illæ actiones, qvæ necessarium nexum, vel disconvenientiam cum natura humana haud involvunt, ab homine indifferentes, ac libero ipsius arbitrio relictæ esse merito censentur.

§. 8. Deniqve facile intelligimus, haud paucos fore, qvi apud imperitum & credulum vulgus jactare sustineant, *plerorumqve criminum turpitudinem ex tali principio demonstrari non posse.* At enim uti cuivis sanæ mentis in proclivi esse putamus, eorum delictorum,

ctorum, qvæ qvidem Jus Naturæ damnat, prohibitionem ex neceſſaria diſconvenientia, qvam cum tranqvillitate ſocietatis humanæ involvunt, liqvido perſpicere; ita manifeſtum eſt, non omnia crimina protinus pro naturaliter turpibus habenda eſſe; ſed eorum multa originem ſuam demum ad poſitivas prohibitiones referre. Qvæ ſi vulgus interilla, qvæ ipſo Jure Naturali vetita ſint, & a qvibus hominis natura abhorreat, hactenus numerare conſvevit, hoc nihil veritati præjudicabit; non magis ſane, qvam in Phyſica, & Mathematica ſcientia invetetati errores noſtra ætate accuratiores demonſtrationes morari potuerunt. Qvare ſi qvis exemplum alicujus criminis adducat, cujus turpitudinem ex hoc principio demonſtrari poſſe neget, eum ante omnia naturalem ejus prohibitionem liqvido probare oportet. Nam qvi in demonſtrationibus ſuis conficiendis ad merum vulgi conſenſum, aut neſcio qvem horrorem atqve averſationem naturalem, cui tamen nulla ſolida ratio ſubeſt, provocant, illi in hoc negotio vix aliqvam reſponſionem merentur.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

DE METHODO CONTROVERSIAS MORALES DECIDENDI.

§. I.

DEmonstratum hactenus est genuinum Juris N. principium, sequitur jam, ut usum ejus aliquanto uberius ostendamus, quem non exiguum esse, quivis cordatus facile confiteatur. Quanti enim, quæso est, in quolibet obveniente casu dispositionem Juris N. scire, & ita quidem scire, ut cognitionem tuam non per ambages, atque ex densa rationum inter se pugnantium nube eruas, sed brevi mentis cogitatione liquido accipias, ejusque veritatem cuique ad oculum demonstrare possis? Quo ipso liquet, sæpenumero Moralium Doctores torqueri circa quæstiones velut ad Jus N. pertinentes, quamvis earum objectum extra materiam Juris Naturalis sit, nec nisi rem eo indifferentem concernat, ut, nisi lex Divina positiva adsit, liberum legislatori humano sit, alterutram partem pro lubitu accipere, eamque vel præcipere, vel prohibere, eoque

eoqve ipso moralem efficere. Qvocirca ut principia nostra evidentiora reddantur, nonnullas qvæstiones Juris N. qvæ vulgo pro difficilibus haberi solent, subjiciemus, &, qvam compendiose methodo nostra definiri qveant, ipso facto demonstrabimus.

§. 2. Sic controverti solet: An a commodatario rei commodato acceptæ, qvæ periit, sed tamen perituranon fuerat, si apud commodantem permansisset, æstimatio præstanda sit? Pro affirmante sententia militat, qvod, nisi tali casu commodans æstimationem receperit, ex humanitate sua præter meritum damnum incurrat. Negativæ autem partis defensores non minus acriter urgent, qvod qvælibet res suo Domino pereat, & conseqventer damnum ex fortuito rei commodatæ interitu resultans ferre, fatiqve infelicitati imputare commodans debeat. Neqve vero ad genuinum de hac controversia judicium ferendum magno ingenio opus est, si qvis methodo a nobis exposita uti velit. Manifestum enim est, neqve positam commodatarii ad præstandum tali casu rei pretium obligationem nexum generis humani involvere, neqve ejusdem negationem simpliciter illius ruinam matura-

turare; Unde fluit, de hujus qvæſtionis objecto nihil jus N. diſponere; cui conſeqvens eſt, poſſe legislatorem civilem & injungere tale onus commodatario, & ipſum ab eodem abſolvere.

§. 3. Pari compendio definire licet qvæſtionem: Utrum in locatione conductiodine, cui aliqvid aleæ ſubeſt, propter incertitudinem proventus & fructuum, qvi ex bonis locatis ſperantur, aliqvid de penſione ob improviſam & caſu aliqvo rariore contingentem ſterilitatem a locatore remittendum ſit, nec ne? Qvi affirmant, hac præſertim ratione fulciuntur, qvod conductor pactus qvidem eſſe cenſeatur de caſibus fortuitis, non vero de inſolitis, nec niſi rariſſime evenientibus. Sed nec negaturo ratio deeſſet. Videtur enim conductor rei, cujus incerti proventus, uti exuberans lucrum ſibi habet, ita damnum, ubi ſpes fefellerit, qvocunqve caſu ſterilitatem cauſante, emergens in ſe recipere. En tibi hic rationum æqvitatis conflictum! ſed inanem tamen, ſi de eo, qvod jus N. ſanciat, qværatur. Cum enim hæc qvoqve materia ſimplici & neceſſario nexu cum natura humana non cohæreat, inde eam intactam relinqvere

qvere, atqve in neutram partem pronunciare Lex Naturæ intelligitur.

§. 4. Eodem modo tot rationibus in utramqve partem ventilata qvæstio de polygamia, licitane ea sit Naturali jure, an prohibita? determinatur. Qvemadmodum enim pernicioſæ lites nasci videntur posse inter plures uxores, invidiæ atqve æmulationis œstro perculsas; Ita in augmentum generis humani magis numerosa soboles ex iis tolli potest, & deficit hic illa officiorum, qvæ inter parentes & liberos mutua J. N. constituit, confusio, propter qvam πολυανδρία in numero naturaliter vetitorum est. Dicendum igitur, polygamiam extra objectum juris N. esse, & hinc eandem, tanqvam rem naturaliter indifferentem, legi positivæ tribuisse materiam.

§. 5. Qværi etiam inter politicos & juris N. scriptores solet: *Utrius parentis jus in liberos sit potius?* Et pleriqve indistincte præceptis paternis palmam deferunt, ut existiment, ita liberos teneri jussa matris venerari, ut eis plurimum anteferant voluntatem patris. Idqve cum ex præstantia sexus masculini, tum ex eo etiam evincere conantur, qvod Pater tanqvam caput familiæ præsit, cui proinde ipsa

ipſa ſubſit uxor, ut hinc in dirigendis liberorum actibus ipſa pariter cedere marito debeat. Verum enim vero æqva æſtimatione rem perpendentibus, & juxta genuini legum naturalium principii normam dimetientibus ſatis liqvet, deficere hic naturalem diſpoſitionem, ſi rem ita in genere conſideres, & prout a ſtatu naturali atqve civili præſcinditur. Qvippe extra dubitationem eſt poſitum, pacto effici in ſtatu naturali poſſe, ut patrio juri maternum anteferatur. Cujus pacti validitati impediendæ juſtam remoram non objicit infirmitas ſexus feminini, qvippe qvæ nec ſemper ſexum ſeqviorem comitatur, & legitima imperii denegandi cauſa non eſt. In ſtatu vero civili, utpote per maſculos inſtituto, cum familiarum rectores mariti ſint, & ipſi ſibi regulariter uxores, non hæ maritos qværant, jus patris in liberos maternum antecedet, ut, licet reverentiæ qvævis documenta exhibere matri proles teneatur, præceptis tamen a matre profectis non obſtringatur, ſiqvidem patriis juſſis nihil iniqvitatis continentibus adverſentur.

§. 6. Nec minus de bonis liberorum in patria poteſtate exiſtentium adventitiis diſputa-

ſputari ſolet, utrum ſcilicet diſpoſitio juris civilis, qvæ, ejusmodi bonorum proprietate penes liberos manente, eorundem uſumfructum patri addicit, verſetur circa objectum morale ſeu jure N. jam determinatum? Et in affirmativas qvidem pleriqve diſcedunt partes, hac maxime non parum ſpecioſa ratione adjuti, qvod multas moleſtias pater perferat, eiqve cum ob beneficium generationis, tum educationis, qvæ ei plerumqve accedere ſolet, filius infinitis modis ſit obſtrictus, ut hinc tantorum beneficiorum intuitu ipſemet cenſeatur tacite patri ſuorum bonorum uſumfructum relinqvere. Sed enim nullam hic ſolidam ſubeſſe rationem video, qvæ legislatoris civilis arbitrium iu hac materia excludat. Qvippe in confeſſo eſt, ex ademptione hujus uſusfructus ejusdemqve adjudicatione filio facta vim conditioni generis humani haud inferri, neqve fata humanæ ſocietatis maturari, ut hinc nihil vetet, uſumfructum in adventitiis æqve ac in caſtrenſibus & qvaſi caſtrenſibus cum proprietate conſolidari, inqve uno eodemqve ſubjecto, perſona nimirum filiifamilias, concurrere.

§. 7. Multum qvoqve a ſe diſſentiunt Scri-

Scriptores in evolvenda qvæſtione: *Num Parentum in liberos poteſtas tam laxa ſit, ut ad eorundem ſe venditionem in caſu neceſſitatis extendat*? Qvi negant, vim fieri hoc modo, contendunt, naturali affectui, qvem in liberos tenerrimum natura Parentibus inſeverit; & urgent præterea, qvod patria poteſtas jus perſonale ſit, a beneficio generationis præſertim ortum, qvod egredi proinde perſonam non poſſit. Affirmantibus contra cum genius neceſſitatis favet, cujus intuitu ad evitandum malum aliqvod humana conſtantia majus permulta licent, qvæ regulariter per legis diſpoſitionem in numero vetitorum ſunt; tum hoc vel maxime, qvod hujus venditionis nēceſſaria cum conſervatione generis humani diſconvenientia doceri non poſſit; ut hinc Jus N. neqve præcipiendo, neqve prohibendo circa hanc qvæſtionem verſetur, ſed eadem luculentam materiam legis poſitivæ conſtituat, qvæ tamen pro ſcopo publicam utilitatem habens non facile hanc facultatem naturæ humanæ apprime congruam ademtura eſſe intelligitur.

§. 8. Diſceptari etiam ſolet: *An peccet in legem N. Imperans, qvi delinqventibus non-*

nullis ſuorum criminum veniam concedit? Affirmativam tuentur multi propterea, qvod Imperans eum in finem conſtitutus ſit, ut in delicta ſubditorum ſeveris pœnis animadvertens peccandi libidinem in ipſis coërcat. Accedit, qvod in ſalutem humanæ ſocictatis injurii delinqventes ſint, ut conſeqventer is, qvi ei defendendæ præeſt, non videatur impunita relinqvere poſſe delicta. At enim qvamvis ſpecioſæ hæ rationes ſint, ſi tamen ad normam, ad qvam leges N. examinandæ ſunt, dijudicentur, apparebit, nullam hic prohibitionem naturalem inveniri. Neqve enim qvicunqve reſpectus & utilitas in ordine ad ſocietatem humanam præceptum juris N. evincit, ſed debet materia objectum hujusmodi diſpoſitionis conſtituens relationem neceſſariam ad eandem involvere, ut hactenus luculenter demonſtratum. Illud vero indubiæ apud omnes veritatis eſt, reſpectum talem in facultate veniam qvandoqve delictorum faciendi deficere. Qvod tamen non tam laxe capiendum, ut exiſtimes, licere temere & pro lubitu peccantes dimittere, ſed ratio veniæ gravis ſubeſſe debet.

§. 9. Amplius, *An obligatio, ad qvam qvis metu compul-*

compulſus eſt, ſit valida? difficilis ſemper viſa, & impedita Qvæſtio ob acrem Philoſophorum pro parte utraqve pugnam. Nam qvi affirmativam tenent, allegare ſolent, qvod in tali promiſſore omnia producendæ obligationis reqviſita concurrant. Ubi enim mediante facultate dijudicativa intellectus loci, temporis, & qvæ præterea occurrunt, circumſtantias exegit, judiciumqve ſuum ſuper iisdem tulit, integrum eſſe voluntati pro libertate ſua, dictamini huic intellectus ſe ſubmittere, aut contrarium amplecti; dum itaqve ad eam partem, qvam potiorem judicavit intellectus, ſe determinet, atqve ad actus convenienter ei exercendos facultates inferiores moveat, ſimul ſignificari, ipſam obligari poſitis his circumſtantiis velle. Alii vero, qvi invalidam promiſſionem talem declarant, contendunt, qvod promiſſio libera a coactione eſſe debeat; qvod ad ejus validitatem deſideretur in eo, qvi alterum vult obſtringere, jus obligandi, & ſic deinceps. Mihi omnis hæc lis facile componi poſſe videtur. Cum enim validitas, aut invaliditas talis promiſſionis neceſſario conditioni humanæ nauræ neq; congruat, neqve diſconveniat, inde manifeſtum eſt, præ-

ſcindere ab utraqve Naturæ Legem; ita ut in ſtatu naturali ejus, qvi promiſit, arbitrio relictum ſit, velit ne promiſſioni ſatisfacere, nec ne. Lex autem civilis poteſt eam pro efficaci declarare, & qvidem vel ſimpliciter, vel ſecundum qvid, ut actio qvidem in Judicium deduci poſſit, ſed qvæ removeatur per oppoſitam exceptionem, vel etiam reprobare; qvod tamen haud liceret, ſi hujus promiſſionis validitas determinata Lege Naturæ eſſet.

§. 10. Pariter circa vulgatam qvæſtionem: *An impuberes ex contractibus a ſe initis obligentur?* nihil lumen naturæ definit. Judicii maturitatem ad contrahendam obligationem Jus Naturæ reqvirit; ſed qvo ætatis anno tanta ſe vis Judicii exerat, qvæ ad producendam obligationem ſit habilis, non determinat. Rationis enim maturæ vigor in aliis citius, in aliis tardius, apparet. Unde ſi occurrat negotium, de cujus validitate ex Jure Naturæ pronuntiandum ſit, habilitas perſonarum contrahentium ex earum vita, moribus, & qvotidianis actibus æſtimanda eſt. Et hinc qvia Jure Naturæ nihil hac in parte definitum, libertas determinandi Juri poſitivo competit.

petit. Qvæ libertas tamen omnimoda non eſt, ſed qvodammodo reſtricta. Attemperari nimirum determinationem ratio naturalis jubet ad genium indolis humanæ, ut prout maturius, vel ſerius communiter vis Judicii ſe prodere in hominibus ſolet, ita etiam debilitati intellectus obligationem impedienti brevior vel longior terminus ſtatuatur; qvi legitimus & juſtus erit, etiamſi eo tempore in uno alterove individuo non adeo maturum judicium deprehendatur. Imputet enim ſibi, qvi in excolenda intra illud tempus ratione non majorem diligentiam adhibuit.

§. 11. Neqve majori cum difficultate conjuncta eſt ſolutio qvæſtionis: *An ob fraudem incidentem & pro objecto non niſi accidentale aliqvid habentem ipſe contractus reddatur nullus*? Nam in neutram hic partem Naturæ Jus pronuntiat? Cum utrinqve nulla neceſſaria convenientia, vel abſoluta diſconvenientia cum conditione humani generis appareat. Sive enim omnis Contractus etiam ob incidentem dolum vitio nullitatis laboret, ſive ſubſiſtat, & læſo experiundi ſolummodo adverſus alterum ad da-

mnum, qvod dolo passus est, resarciendum licentia concedatur, nulla hinc humanæ societatis destructio metuenda. Et hinc apparet, frustra contendere *Pufendorfium d. J. N. & G. L. III. cap. VI. §. 8.* qvod, si dolus fuerit incidens circa rem ipsam, aut qvalitatem rei ad præsens negotium spectantem, hactenus pactum sit vitiosum, ut in arbitrio decepti sit, illud penitus dissolvere, aut læsionis pensationem exigere. Et hinc nonnisi Rationibus quibusdam æqvitatis speciem habentibns pugnat, qvibus opponi ab adversa parte aliæ non minus validæ rationes qveunt. Neqve enim voluntatis consentientis actus dependet ab ea conditione, si hoc vel illud accidens, hæc vel illa qvalitas, hoc aut illo modo se habuerit. Sed consensus qvoad contractus essentialia absolutus est, & qvæ subest conditio, nonnisi determinatam illam qvalitatem respicit, intuitu cujus cum deficiat consensus, ipsa promissio qvidem qvalitatem illam respiciens inanis est; verum propter hoc inutile totus contractus qvoad substantialia validus rescindi non debere videtur; sed læsus potius damni pensationem exiget; qvam

ubi

ubi obtinuit, non erit amplius, cur conqveratur, cum in eo tum ſtatu res ſit, qvem ſi ab initio fingamus fuiſſe, ipſe negotium contracturus erar. Nihil proinde accipiens reſtituere tenetur, qvamvis promiſſio fundata ſit in præſumtione certæ circumſtantiæ, qvæ poſtmodum aliter ſe habere deprehenditur; ſed is, cui facta eſt promiſſio, ſi nihil adhuc acceperit, agere contra alterum ad ſatisfaciendum ſibi poteſt. Sic ergo & hic rationes æqvitatis inter ſe collidi videntur. Nam in re indifferenti verſamur, & qvæ ob deficientem neceſſarium cum generis humani conditione nexum plane ſub objectum Juris naturæ non cadit. Integrum igitur Juri civili fuit, alterutram partem eligere, qvod & factum eſt. Cum eo Jure dolus cauſam dans contractui eundem, ſi b. f. fit, nullum reddat; dolus e contrario incidens nec b. f. nec ſtricti Juris negotium reddat invalidum. *l. 7. ff. d. dol. mal. l. 16. §. 1. ff. de minor.*

§. 12. Diſputari qvoqve ſolet: *An, illæſa Naturæ Lege, fur ob qvinqve aureos ſurreptos ſuſpendatur?* Ad qvod facillima ex noſtro principio reſponſio eſt. Cogita enim, idita

per universum orbem recipi, an inde qvisqvam socialitati necessariam ruinam prænuntiet? Nam in aprico est, hunc pœnæ rigorem simplicem cum Naturæ humanæ conditione nexum non involvere, ut proinde naturæ Lege ob omni ea iniqvitate absolvatur; & a mera legis positivæ dispositione dependeat. In hoc vero errat, qvi credit, ob deficientem inter objectum furti commissi, & pœnam ob id inflictam proportionem illam vetari Naturali Jure. Nisi enim æqvalitas ista præcise innexa generis humani saluti sit, locum non inter prohibita, sed indifferentia sortietur, de qvibus disponendi liberimum cuivis legislatori arbitrium relictum. Pæna capitalis autem furti hoc magis ab æqvitate commendatur, qvo acrius eam ob delicti freqventiam publica salus hodie efflagitat, cum ne sic qvidem pessimos nebulones a turpissimo instituto revocari, experientia evincat.

§. 13. Corruit etiam difficultas qvæstionis: *An peccent in Naturalem legem, qvi in summa penuria in cibum sorte ductos, aut eos, qvi sortem respuunt, extra eam jugulant?* Qvicqvid dubitet ac hæsitet *Pufendorf. de J. N. & G. L. II. cap. VI. §. 3.* Neqve enim video, qvi

qvi nexum Generis humani hæc in ultimo neceſſitatis caſu data occidendi licentia tollat. Imo ſi rationum naturalium certamen ineundum, conſulitur ſocialitati potius, dum unius cæde plurium certiſſimus interitus redimitur. Nam qvod allegatur Lex homicidii prohibitiva; ea vires non niſi iis in caſibus exerit, qvibus ſi occiſio promiſcue cenſeatur permiſſa, neceſſaria humanam ſocietatem ruina maneret; atqve adeo ad hunc neceſſitatis caſum Lex illa prohibitiva non porrigenda venit. Qvod ut evidentius appareat, attendendum, cum qværitur in genere: *An homicidium licitum ſit?* reſponderi non poſſe, cum qvæſtio ſatis definita & determinata nondum ſit; aliud enim vetitum, aliud permiſſum eſt, ut cum in ſceleris commiſſi ultionem maleficus a Magiſtratu conficitur. Erit proinde illicita ea occiſio, qvæ contra jus fasqve ſuſcepta eſt. De qvo ex Lege naturali nonniſi per deprehenſam neceſſariam cum conditione humani generis diſconvenientiam conſtat.

§. 14. Sed nihil opus eſt, plura addere. Ex his enim facile eſt, perſpicere, eandem rationem circa reliqvas Controverſias Juris N. eſſe, adeoqve ea, qvam hactenus tradi-

didimus, methodo difficillimas qvæstiones nullo negotio solvi, & lites vulgo agitari solitas componi posse. Nunc ad ipsas Naturæ leges explicandas accedimus. Ubi commodissima partitio ex officiorum diversitate resultat. Sunt vero illa triplicis generis. Alia enim exercenda nobis sunt erga Deum, alia erga nos ipsos, rursus alia erga proximum obeunda. Qvæ singula distinctas disciplinæ hujus partes occupant. Et primo qvidem de Officiis, qvæ homini in ordine ad Deum incumbunt, agendum.

CAPUT OCTAVUM.

DE RELIGIONE NATURALI, SEU OFFICIIS ERGA DEUM.

§. I.

NOstræ de Deo cognitioni verissima Lux a sacris literis existit. Enimvero propositum jam nobis est, colligere sparsas de hoc argumento in lumine naturæ scintillas. Cognitio autem & Cultus Dei, qvem Lex naturæ præscribit, nomine *Religionis Naturalis* venit. Veræ autem religionis naturalis duæ partes

partes sunt. Una est: *Rectus de Deo sensus.* Altera: *Rectus in Deum cultus*; Inde & duplices occurrunt propositiones, Theoreticæ, & Practicæ. Hæ dicuntur, qvæ actionem aliqvam, vel actionis omissionem præscribunt. Illæ sunt, qvæ non præscribunt operationem, sed qvandam nobis de Deo notitiam suppeditant. Qvod tamen solum intelligendum est de Propositionibus *formaliter* spectatis; *virtualiter* enim omnes sunt practicæ. Est autem primum & præcipuum caput recti sensus de Deo, ut qvis certus sit, & indubitanter cognoscat, *Deum existere*; qvomodo autem id fiat, breviter videbimus.

§. 2. Notitia existentiæ Divinæ *triplex* potissimum est, *insita*, *acqvisita vulgaris*, & *acqvisita exacta*. *Insita* de Deo notitia non est proprie habitus ante usum rationis in homine existens, sed est potentia propinqva, homini connata ad actus cognoscendi DEum, & præcipue ejus existentiam immediate eliciendos, qvamprimum lumen rationis se exerere incipit, & termini fiunt noti. *Acqvisita vulgaris* dicitur, qvæ insita non est, sed aliunde modo vulgari h. e tali acqviritur, qvi in qvemvis etiam ex plebe demonstrationum apo-

apodicticarum vim alias non capientem cadit; & vel ex aliorum v. gr. Parentum, Præceptorum, Magistratus, populiqve testimonio, vel ex inspectione creaturarum per consequentiam qvidem, sed facilem, & cuivis, etiam illiterato, obviam acqviritur. *Acqvisita* deniqve *exacta* est, qvæ per accuratiorem demonstrationem a Philosophis ex rebus creatis, tanqvam effectibus divinis, comparatur. Demonstrandi autem ita exacte multiplices viæ sunt a Philosophis tritæ. Earum nos celeri pede nonnisi præcipuas inibimus.

§. 3. Prima via est *dependentiæ & connexionis causarum.* Nimirum quicquid existit, non est a se ipso, positive scilicet, qvasi sui ipsius productrix causa foret; id enim si esset, idem esset se ipso prius; cum non possit concipi causa aliqva producere effectum, nisi ea ante productionem effectus qvoad materiale præextiterit. Esse autem seipso prius, est contradictio; qvia aliqvid eodem tempore esset, & non esset. Qvodsi ergo accipiamus v. gr. corpus aliqvod, id cum a se ipso nonsit, erit ab aliqva causa, qvæ itidem agnoscet causam, & hæc iterum, & sic longissime progredi licebit. Dico autem, progressum hunc non

forè

fore infinitum, sed deventuros nos tandem esse ad primam aliqvam causam, qvæ a nulla alia dependeat, sed qvæ ipsa origo sit eorum omnium, qvæ existunt. Id autem, si qvis modo profundius aliqvanto attendat, clare & distincte intelligitur. Sane enim, si prima corporis alicujus causa infinite absit, infinitum etiam spatium reqviretur ad corpus hoc producendum; qvod fieri aliter non potest. Qva enim via ἀνάλυσις alicujus corporis retrorsum it, eadem via ejus σύνθεσις antrorsum procedit; ex qvo illud seqveretur absurdum, corpus hoc & cætera omnia nondum effecta esse, & infinitum adhuc spatium præterlabi debere, donec eorum productio ad finem adducatur.

§. 4. Altera est *via Motus*; cum enim, qvicqvid movetur, moveatur ab alio, necessum est, primus aliqvis motor detur, a qvo hæc omnia in motu suo dependeant. *Aristoteles* a motu alia qvodammodo ratione demonstrat, idqve hunc in modum: Cum deprehendamus varia accidentia, inde necesse est, etiam dentur substantiæ. Jam vero sunt accidentia, qvæ continuo ac semper sunt; ergo & substantia qvædam semper est. Sunt autem

tem accidentia talia, motus & tempus, qvod inde probatur; qvia, si cœpisset tempus, prius & posterius fuisset, eo non existente; qvod impossibile; Ex continua autem temporis existentia fluit etiam perpetua existentia motus; cum tempus sit numerus motus. Inde colligitur, dari substantiam, qvæ per motum non cœperit, & perpetuo seu continuo motu moveatur, nimirum Cœlum. Præsupponit deinde, qvicqvid movetur, moveri ab alio, & excludi progressum in infinitum; unde deducit, dari aliqvod primum, qvod movetur, & non ulterius ab alio moveatur. Et hoc primum, ait, æternum & unum esse, nimirum Deum.

§. 5. Hanc demonstrandi existentiam divinam methodum miris modis extolli a multis audias. At enim mihi ea nunqvam sufficiens visa est; cum sic multa asserantur partim falsa, partim sine ratione. Falsum enim omnino est, accidentia, tempus & motum ab æterno esse; Utrumqve enim cum productione hujus universi cœpit; Inane autem & sophisticum, qvod ait, si cœperit tempus, eo prius & posterius esse debere. Accipitur enim τὸ prius non positive, sed negative, ut

sensus

sensus sit: Ante non fuisse tempus, sed præter Deum nihil, seu, si mavis, æternitatem. Unde & collabitur demonstratio perpetuæ existentiæ motus, cum is nexum regulariter cum tempore habeat. Qvod ait; *qvicqvid movetur, moveri ab alio*, id sine vallo rationis ponit, nec absurditatem progressus in infinitum in deducendo motu ab alio, demonstrat. Merito igitur huic demonstrationi non tantum, qvantum alii contendunt, roboris inesse existimamus.

§. 6. Attingenda hic etiam breviter videtur via, qvam insistit in demonstranda existentia Dei *Cartesius Medit. III.* & hunc in modum procedit. Primo præsupponit, qvod per se notum, nihil unqvam contineri in effectu, qvod non prius in causa fuerit vel formaliter, vel virtualiter; idqve verum esse non solum de entibus actualibus, sed & objectivis, sive qvæ intellectui mediante conceptu aliqvo objective repræsentantur; qvamvis enim talis realitas objectiva debili valde modo existat; non tamen esse nihil, & hinc agnoscere & ipsum causam, in qva vel tale qvid, qvale a conceptu repræsentatur, formaliter existat, vel saltem facultas sit, qva causa habilis ad talem

lem effectum producendum sit; deinde examinat, unde sit realitas objectiva, qvæ in conceptu de Deo occurrit. Cum Deum cogitet qvis, etiam Atheus, repræsentare eundem sibi substantiam summe potentem, infinitam, simpliciſſimam, immutabilem; Realitas ergo hæc objectiva cum in ipso non sit, neqve formaliter, neqve eminenter; inde necessum esse, causam habeat ab ipso diversam, in qva eadem existat, eamqve esse Deum. Nec esse, qvod excipias, realitatem objectivam nihil actuale esse, adeoqve nec causam desiderare; Nam qvamvis qvod objective in intellectu est, non sit ens actuale, non tamen esse nihil; & hinc ab aliqva causa descendere. Frustra objici: Nullam talem realitatem objectivam in conceptu de Deo dari; cum infiniti incapax humanus intellectus Deum comprehendere non possit. Aliud enim esse, comprehendere, aliud, clare & distincte rem percipere. Cum enim cogitemus Deum, velut in profundum mare nos intueri, cujus qvamvis nullos limites videamus, ejusdem tamen qvod videmus, clare & distincte videre. Neqve hunc conceptum ex compositione perfectionum

num, qvæ in creaturis deprehenduntur, resultare; Nam majorem in hac idea realitatem inveniri, qvam in cujusvis alius creaturæ conceptu; & præcipue inter perfectiones divinas occurrere nobis simplicitatem summam, qvæ uti omnem divisibilitatem excludat, ita nec compositionem admittat.

§. 7. Enimvero demonstratio hæc tot vitiis laborat, ut a multis eam non sine applausu exceptam fuisse mirer. Et vel hoc solum infirmitatem ejus liqvido evincit, qvod supponit, qvicqvid de Deo in ejus conceptu nobis occurrit, id clare ac distincte nos percipere. Sane enim hoc admisso, absurdum illud consequitur, Deum a pusillo intellectu nostro comprehendi; cum apud omnes in confesso sit, nihil in Deo esse, qvod non sit ipse Deus; ut nec Attributa Divina ab ejus substantia revera qvicqvam differant. Sed hæc sufficiant de Existentia Dei, cujus demonstrandæ modos plures passim apud Scriptores, Theologos præsertim, reperire licet.

§. 8. Et hinc facile liqvet, non tolerandos, sed puniendos omnino graviter Atheos, idqve cum propter publicam salutem, tum qvia non mentis solius, sed qvam maxime

voluntatis etiam vitium Atheismus est. Publica tane salus, stante tam execranda impietate, salva stare non potest, uti infra pluribus dicetur. Et hinc, qvi persvadere Orbi Atheismum vellet, is non solum omnia argumenta pro existentia Numinis militantia destruere, & plausibiliores afferre, sed & præterea liqvido ostendere deberet, atheismo melius consultum iri terratum orbi, qvam stante de existentia Dei insita apud omnes sententia. Cum vero horum nullum possibile sit fieri, inde æqvitas & Justitia pœnæ apparet, qvæ pessimis his fatuis imponi solet.

§. 9. Et hinc valde errat Atheismi nomine suspectus *Hobbesius*, qvod Atheos imprudentiæ solum, non item injustitiæ reos agit, aitqve *Elem. d. Cive cap. XIV. §. 19. Annotat. se legem aliqvam, juxta qvam injustitiæ damnare posset Atheos, & diligentissime qvæsivisse, & vehementer cupivisse, sed invenisse nullam.* At enim cum religionis, imo totius juris Naturalis fundamentum sit, de Existentia Numinis certum esse; inde liqvet, necessario etiam inter Leges naturales aliqvam existere, qvæ Deum cognoscere pariter & credere imperet; qvod

qvod ni ita esset, totum jus N. concideret; cum obligatio sine aberratione a lege superioris intelligi non possit.

§. 10. Pergit *loc. cit. Hobbesius*: *Siqvidem peccatum non sit, qvod non sit contra aliqvam legem, neqve lex ulla sit, qvæ non sit mandatum ejus, qvi summum imperium habet, neqve qvisqvam summum Imperium habeat, qvod non sit ei nostro consensu delatum; qvomodo peccare dicetur is, qvi vel non existere Deum, vel non gubernare mundum affirmaverit, vel aliam contumeliam in eum evomuerit? Dicet enim, se voluntatem suam Dei Voluntati nunqvam subjecisse, ut qvem ne esse qvidem opinatus fuerit? & qvanqvam opinio sua erronea esset, ideoqve etiam peccatum; numerandum tamen esset inter peccata imprudentiæ, sive ignorantiæ, qvæ puniri jure non possunt. Oratio hæc eo usqve admittenda esse videtur, ut hujusmodi peccatum, qvanqvam sit maximum, damnosissimumqve, referri tamen debeat ad peccata imprudentiæ; sed ut per imprudentiam aut ignorantiam excusandum sit, obscurum est. Punitur enim Atheus, sive a Deo immediate, sive a Regibus sub Deo constitutis, non ut subditus punitur a rege, propterea qvod leges non observa-*

verit, sed ut hostis ab hoste, qvod leges noluerit accipere, hoc est, jure Belli, ut gigantes Θεόμαχοι. Enimvero, qvamvis imperium humanum proficiscatur a consensu expresso vel tacito, id tamen locum in imperio Divino non habet; hoc enim ut obliget, non desiderat creaturæ consensum; cum subjectionem & conseqventer obligationem ad parendum legibus ipsum Creationis s. productionis beneficium inferat; ut adeo velit, nolit, creatura obedire teneatur præceptis Divinis; qvod si non facit, punitur ut transgressor legis, non vero ut hostis, sicut contendit *Hobbesius*.

§. 11. Neqve patrocinantur ejus sententiæ Psalmi verba ab ipso adducta: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Neqve enim insipientia a Spir. S. malitiæ Voluntatis semper opponitur; sed sæpe pro perversitate ac malitia accipitur. Et magna sane insipientia atqve stultitia est, legi sibi positæ disconvenienter agere, & eo ipso gravis pœnæ in transgressorem statutæ se reum constituere. Illa vero extreme omnino impia, cum ita pergit: *Qvod autem Deum esse, ratione naturali sciri posse dixerim, ita accipiendum est, non tanqvam omnes id scire posse putaverim; nisi qvoniam*

niam ratione naturali, qvam proportionem habeat sphæra ad cylindrum, invenit Archimedes, ex eo seqvi putant, qvemvis ex vulgo idem invenire potuisse; Dico igitur, etsi ab aliqvibus, Deum esse, lumine rationis sciri possit, tamen homines in voluptatibus vel divitiis, vel honoribus perqvirendis continuo occupatos, item homines, qvi recte ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant; deniqve insipientes, in qvo numero athei sunt, scire id non posse. Qvasi vero non difficilius multo, proportionem inter sphæram & cylindrum invenire, qvam existentiam Numinis, utpote qvæ in proclivi est. Qvo enim alias illa Apostoli ad Rom. I. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ &c. Non hic profunda meditatione, aut magnis viribus ingenii opus; cum & insita, ut supra ostendimus, de Deo notitia detur; & acqvisita vulgaris, qvæ in qvemvis etiam ex plebe cadit.

§. 12. Neqve vero sufficit, firmam animi persvasionem de existentia Numinis adesse; sed præterea reqviritur, ut qvis intelligat, universi hanc machinam ab eo productam esse. Qvod ex lumine naturæ demonstrare est facile. Nulla enim res in hoc Universo est, qvæ sit a se ipsa, nec positive,

qvod per se patet, nec negative, ut non ab alia seu improducta sit. Si enim non esset producta, esset necessario independens; si hoc, esset etiam summe potens, infinita, immutabilis; cum omnia hæc attributa cum independentia indivulso nexu cohæreant. Atqvi hoc conseqvens est absurdum, cum alias omnes res imperfectæ forent Dii, h. e. entia summe perfecta; qvæ manifesta est contradictio. Debere autem ens independens necessario etiam esse summe potens, infinitum &c. haud difficulter constat; Qvodsi enim tale non esset, appareret in eo aliqvis defectus; defectus autem dicit limitatam naturam; omnis vero limitatio talis agnoscit causam, a qva proinde ens in suo esse processit; h. e. ens illud non foret independens, sed a causa illud ita limitante, h. e. a Deo dependeret.

§. 13. Cæterum nihil fere freqventius, qvam ut ex Philosophorum ore audias, hoc vel illud ita *providam naturam* instituisse. Qvæ locutio utiqve, si eam recte æstimes, non satis commoda. Vel enim sub hac voce intelligunt *naturam naturatam*, ut barbare cum barbaris scholasticis loqvamur, h. e. hanc universi

versi molem; & pudeat eos machinæ sensu & ratione destitutæ nobilissimos effectus attribuere, qvi mentem & consilium præsupponunt; vel indigitant *naturam naturantem*, ut itidem Scholastici vocant, h. e. universi hujus Auctorem, seu DEum, nec satis aptum videtur, neglecta plana & consueta voce DEI, substituere obscurum & ambiguum vocabulum. *Conf. Pufend. d. O. H. & C. L. I. IV. §. 3.*

§. 14. Præterea in magno errore versantur, qvi sibi persvadent, DEum aliqvid sensibile esse, & sidera cumprimis; unde & apud gentes haud raro divino astra cultu afficiebantur, ut sol apud Persas. Qvæ sententia indigna omnino homine, & cumprimis philosopho est. Ipsa enim cœli & siderum substantia arguit, ea producta ab aliqva causa esse. Nam insecta essent vel intuitu primarum particularum, seu atomorum, ex qvibus constant, vel ratione materiæ secundæ & formæ, qvam ea nunc obtinere conspicimus. Ab utraqve parte absurda. Nam si ponatur prius, non illud solum seqveretur, hoc universum ex atomorum concursu natum, qvod inepte *Epicurus* olim, sed & hoc, tot fore Deos, qvod essent tales parvæ

particulæ. Sin posterius statuatur, nulla ratio reddi potest, cur sidera tam diversæ magnitudinis, & motus sint; neqve potest intelligi, qvomodo, cum constent ex minutis particulis inter se realiter diversis, sine earum tamen actuali nexu existere cæperint.

§. 15. Male qvoqve ii videntur facere, qvi DEum *mundi animam* appellant. Accipitur enim hæc vox in duplici significatu. Primo denotat partem essentialem, materiæ contradistinctam, qvæ cum ea concurrit, ad compositum constituendum. Deinde etiam notat rerum vim & efficaciam. In neutro autem significatu locutio hæc satis commoda. Nam si in posteriore significatione accipitur, eo vitio laborat, qvod ipsa figurata est & metaphorica, cum suppetant voces propriæ & perspicuæ. Prior autem significatus applicari hic nullo modo potest, cum naturæ DEI repugnet, esse partem; Cum enim Autor universi sit, adeoqve eo prior, intelligi non potest, qvomodo ejus pars ulla ratione dici qveat; & esset profecto effectus sua causa nobilior; cum sic præter suam causam, nimirum formam, etiam materiam involveret. Et ex his dictis illud qvoqve facile est colligere, Mun-

re, Mundum hunc non esse æternum; contradicunt enim hæc directe sibi, productum esse, & tamen termino etiam a parte ante, uti loqvuntur, carere. Qvicqvid ergo causam habet, æternum non est; qvamvis possit esse æviternum, qvod fit in spiritibus creatis, qvi qvamvis cœperint, adeoqve non sint æterni, fine tamen carebunt.

§. 16. Præterea tenendum, DEum mundum a se productum non negligere, sed sua providentia gubernare. Qvoad effectum enim moralem, & socialitatis salutem nihil interest, utrum qvis existentiam DEI neget, an ejus providentiam in dubium vocet; Utroqve enim casu corruit omnis Religio, humanæ societatis necessarium vinculum. Demonstrari autem ex lumine naturæ providentia divina variis modis potest. Ubi notabilis omnino est inclinatio, & qvidam veluit ad eam credendam in homine instinctus. Qvoties enim homo hac de re meditatur, deprehendit, se velut pondere qvodam inclinari ad eam partem, ut credat providentiam; & qvamvis de facto in contrarium nonnunqvam deflectat, non tamen contrarios in se oriundos motus subigere

potest: Et qvo ictus illi qvæso, & laniatus torqventis se conscientiæ? An non indicant, per scelera commissa offensum eum, qvi hæc humana curet, qvi in legum suarum transgressores acriter animadvertat? Et sane, cum qvilibet opifex naturali caritate & cura in suum opus feratur, qvi summus rerum effector DEUS possit suas creaturas negligere, tam mirabili artificio & stupendo ordine productas? Præcipue cum ipse & sapientissimus & summe potens, & optimus sit atqve justissimus; qvæ ejus attributa ipsa providentiam qvoqve manifeste arguunt.

§. 17. Illud etiam sentiendum, nihil DEO competere, & conseqventer proprie de eo prædicari posse, qvod aliquam imperfectionem in suo formali involvat. Cum enim concipi non possit DEus, nisi tanqvam ens summe perfectum; inde liqvet, perfectioni ipsius nihil addi, aut demi posse, & proinde nihil ei perfectionis deesse. Et recte sane monet *Pufendorf. c. l. §. 5.* id esse absurdum, creaturam concipere sibi aliqvam perfectionem posse, qvæ in ejus & cæterarum rerum omnium causa & origine non insit. Qvippe imperfectio æstimari non potest, nisi cum aliqva

qva perfectione, in qva illa non adsit, comparetur; cum autem res omnes, ut diximus, a Deo profluxerint, & effectus non possit sua causa esse nobilior, inde conceptus hujus impossibilitas apparet. Et sane tam inexhaustus perfectionum veluti Oceanus in Deo est, ut pusilli ingenii nostri captum infinitis modis transcendant; unde cavendum, ne qvis intemperanter nimis subtili acie animi sui ad eum scrutandum utatur. Caute hic, & non nisi cum veneratione agendum; ad qvod eleganter commentatur *Lipsius Polit. L. 1. cap. II. n. 8. Not.* *Circumludis*, inqvit, *infinitum & æternum illud, tu pusille, tu mortalis.* *Basilium* audi *Homil. 22.* τῆς ψυχῆς, inqvit, νόσιμά ἐστι, τὸ κακῶς καὶ περιέργως ζητεῖν περὶ θεοῦ. *Animi morbus est, male & superflue de Deo qværere.*

§. 18. Hinc fluit, in exprimendis Attributis divinis potius terminis negativis, qvam affirmativis, sive positivis utendum esse; & proinde Deo nihil finitum & determinatum tribuendum. Est enim hæc insignis infirmitas, finem agnoscere & terminos, cum neget præcipuum attributorum divinorum, infinitatem. Neqve affirmandum temere, nos compreheudere

dere Deum, vel ejus ideam adæqvate in facultate imaginativa seu phantasia, vel animo concipere; Hoc enim foret, Deum limitare, ejusqve perfectiones angustis ingenii sui terminis includere. Nec est, qvod objicias, nos Deum infinitum dicere, & hinc ejus attributi conceptum animo complecti debere. Conceptus enim, qvem de infinitate formamus, utut qvodammodo sit positivus, majori tamen ex parte negativus est, & imbecillitatem angusti intellectus nostri arguit, qvi omnes perfectiones divinas capere tanqvam finitus non potest.

§. 19. Præterea DEUS non recte dicitur totum; cum hoc agnoscat partes; partes autem habere, divisibilitatem, & conseqventer insignem imperfectionem arguat. Unde fluit, qvod Deus (1.) non sit *totum universale*; Repugnat enim naturæ divinæ, tanqvam singulariſſimæ, genus esse aut speciem, & subjectivas, uti vocant, habere partes. (2.) Qvod non sit *totum essentiale*, h. e. conflatum ex materia & forma; intercedit enim hic realis compositio, qvalis in DEum, ens simpliciſſimum, nulla cadit. Sed nec (3.) est *totum integrale*; Hoc enim reqvirit partes integran-

grantes, h. e. materiatas, & proinde extensionem habentes, qvalem cum essentia divina consistere non posse, manifestum est. Neqve (4.) est *totum potestativum.* Potentiæ enim & Facultates, ex qvibus hoc constat, realiter differunt. Talem autem realem differentiam in Deo non habere locum, expeditæ veritatis est. Nec (5.) DEus est *totum, qvod ex subjecto & accidente est compositum.* Nullum enim accidens in DEum cadit; sed qvicqvid in eo est, cum essentia ejus unum idemqve est. Nec deniqve (6.) est *totum ex natura & subsistentia compositum;* Qvamvis enim in humanis fortasse natura a subsistentia realiter differre qveat; secus tamen in DEO ob ante adductam rationem obtinet.

§. 20. Ulterius de DEO non recte affirmatur, qvod sit *in loco.* In loco enim esse nihil aliud est, qvam limitibus certi spatii circumscribi, qvod de DEO infinito & omnipræsente neutiqvam affirmari potest. Sed tamen cum DEus sit Ens actuale, necessum est, sit in aliqvo *ubi*; Et hinc non est inanis differentia, qvam vulgo constituunt, cum dicunt, DEum esse in aliqvo *ubi repletive*, qvatenus nimirum omnia replet; qvo

ex Theo-

ex Theologia revelata pertinet illud Jerem. XXIII. v. 24. *Cœlum & terram ego impleo*, inqvit *Dominus*. Spiritus autem creatos esse in *πῶ definitive*; Corpora deniq; *circumscriptive*, seu ea esse proprie in loco, cujus limitibus determinentur, & circumscribantur. Ex eo, qvod DEus non est proprie in loco, seqvitur, eum non posse dici qviescere; cum qvies respectum dicat ad locum; nec moveri, ob rationem eandem. Motus enim in DEum non cadit. *Ille omnia movet immobilis, omnia qvatit inconcussus*, inqvit *Lipsius Polit. L. I. cap II. §. 7. N. præditam motu sempiterno.* Add. qvæ ad illum locum *Dn. Reinhardus*, in *Theatro Prudent. Elegant.* libro non vulgari, dignoqve omnium, qvi altiora sapiunt, manibus teri, erudite annotavit, atqve ad §. *seq.* prudenter monuit. Sed id capiendum de motu locali est; qvod si enim motus pro actu & vita sempiterna accipiatur, DEO haud dubie in proprio significatu competit, tanqvam enti auctuosissimo & æterno. Cæterum qvæ de motu locali sacræ literæ tradunt, commode per *ἀνθρωποπάθειαν* qvandam, aut *συγκατάβασιν* explicari qveunt.

§. 21. Sed nec illa DEO attribui par est, qvæ

est, qvæ passionem aut dolorem inferunt; cum omnis passio imperfectionem in patiente arguat. Unde affectus, qvi in sua natura seu formaliter imperfectionem involvunt, DEO proprie non competunt, si autem ipsi attribuuntur, id fit improprie & ἀνθρωποπαθῶς, h. e. tribuuntur DEO ob similitudinem effectuum, qvi ab ipso fiunt, cum iis, qvi ab homine talibus affectibus laborante proficiscuntur, seu, qvod eodem redit, competunt DEO effective, non autem ratione efficientiæ, seu qvatenus materialiter in suo objecto passionem important. Pertinet huc (1.) *Ira*, qvæ in suo formali imperfectionem involvit. Uti enim communiter definitur, est vindictæ ob illatam injuriam cupiditas cum effervescentia sangvinis in corde. In qva definitione cum materiale, tum formale iræ exprimitur. Quando ergo ira DEO tribuitur, id fit intuitu effectuum a DEO procedentium, qvi similes sunt iis, qvi ab hominibus iratis proveniunt. (2.) *Pœnitentia*, qvæ itidem concipi sine imperfectione non potest. Est enim nihil aliud, qvam dolor ex agnitione commissi erroris ortus conjunctus cum voluntate, factum, si fieri posset, infectum reddendi.

§. 22. Cæ-

§. 22. Cæterum *Pufend.* huc refert *Misericordium*, sed minus apte, ut mihi qvidem videtur. Neqve enim hæc formaliter imperfectionem in subjecto arguit. Generaliter qvippe & abstracte ea considerata nihil aliud est, qvam Voluntas misero alicui subveniendi; Qvod autem misericordia materialiter in subjecto compassionem qvandam, si ita loqvi licet, adeoqve mutationem innuit, id ad Deum non pertinet, neqve in formali ejus continetur. Item Deo attribui non possunt proprie affectus, qvi absentiam alicujus boni aut imperfectionem aliam in suo formali conceptu involvunt; qvo pertinet *appetitus;* is enim respicit bonum absens & appetibile; *spes*, cum qvis bonum absens exspectat; *Concupiscentia*, cum qvis objectum impetu vehementi appetit; *amor cupidinis* s. *delectatio* ex ipsa cupiditate oriunda; Neqve enim de his affectibus ullo modo conceptus formari potest, qvi non involvat imperfectionem.

§. 23. Referri huc possunt etiam affectus alii; *desperatio*, cum qvis sibi cum dolore persvadet, se concupitum bonum adepturum non esse; *metus*, qvando qvis timet, ne ma-

ne malum aliqvod ipsi eveniat; *invidia*, qvæ consistit in cruciatu ob alterius res secundas, sibi tamen haud nocentes; & deniqve lætitia ex alterius rebus adversis concepta. Qvi affectus omnes in Deum cadere non possunt. Sed dantur tamen alii, qvi in proprio singnificatu Deo attribui qveunt; inter qvos & misericordia est, de qva ante, & amor, tanqvam misericordiæ genus; Is enim in benevolentiam & misericordiam dispescitur; item gaudium, qvo sibi nimirum ob perfectiones summas Deus perplacet; & odium; hoc enim nihil aliud in Deo dicit, qvam aversationem impietatis.

§. 24. Præterea notandum, qvod, cum Deo intellectum & actus sensuum tribuimus, id non fiat eo modo, qvo de hominibus dicuntur. Nam intellectus in homine passionem infert; cum operari sine speciebus per sensuum organa receptis non possit; receptionem autem istam passionem inferre, satis constat. Item in homine actus inteliigendi a se invicem realiter differunt; qvod in Deo secus; ibi enim & passio

omnis abeſt, & actus intelligendi modo longe eminentiori concipiendi, nec inter ſe, nec ab ipſa facultate differunt; uti facultas inielligendi ab eſſentia divina non eſt diverſa. Non minor diſparitas in Voluntate deprehenditur. Ea enim in homine nihil aliud eſt, qvam appetitus rarionalis, h. e. qvæ dirigitur a ratione, & judicio intellectus, ad differentiam appetitus irrationalis in brutis; cum ergo appetitus ſit voluntas, liqvet, eam circa bonum verſari, qvo eget; qvod de Deo neutiqvam prædicari poteſt.

§. 25. Voluntas itaqve divina nihil aliud eſt, qvam ipſa eſſentia divina, qvatenus concipitur per modum potentiæ appetitivæ, qvæ tendit ad volendum bonum & averſandum malum ab intellectu oſtenſum. Dividi ea communiter ſolet in voluntatem *naturalem* & *liberam*. *Illa* dicitur, qva ſeipſum Deus vult; eſt enim Deus ob ſummam ſui perfectionem haud dubie primarium voluntatis ſuæ objectum. *Libera* autem eſt, qva Deus ita aliqvid vult, ut poſſit etiam non velle; Qvomodo Deus in omnes creaturas fertur; neqve enim eæ neceſſariam habitudinem ad divinam voluntatem inferunt. Voluntas Dei libe-

libera ex multorum opinione est rursus vel *efficax*, qva Deus aliqvid vult, ut ipso actu efficiendum, vel *inefficax*, qva Deo aliqvid placet in se, ita tamen, ut nolit ipso id actu produci; qvalis tamen voluntas in Deum cadere non videtur. Efficax rursus abit tum in *antecedentem*, qva Deus aliqvid sine respectu ad circumstantias vult, & *consequentem*, qvæ ad certas se circumstantias refert; tum in *absolutam*, qva aliqvid vult simpliciter & sine ulla conditione, & hypotheticam seu conditionatam, qva aliqvid cum conditione vult. Nota etiam divisio voluntatis divinæ in *signi* & *beneplaciti*; illa est nihil aliud, qvam effectus aut objectum voluntatis divinæ; Hæc vero dicitur ipsa interna Dei voluntas, qva in objectum fertur. Unde hæc proprie, illa improprie Voluntas dicitur.

§. 26. *Scientia* Dei itidem multum ab humana differt. In homine enim præsupponit antecedentem ignorantiam, & ejus acqvisitio infert passionem. In Deo autem scientia sublimiori longe modo existit ab omni imperfectione libera; qvatenus nimirum Deus cum se, tum omnes res alias sine specie intelligibili per se &

immediate cognoscit. Estqve vel *naturalis*, qva seipsum Deus cognoscit, qvæ Cognitio velut ἀρχέτυπ@ est, jrxta qvam creaturatum, tanqvam ἔκτυπ@ conformanda; & ceteras res omnes ut mere possibiles, sive qvatenus produci qveunt; vel *libera*, qva Deus ab æterno cognoscit res, tanqvam certo ob factam ab ipso determinationem & decretum in tempore futuras. Qvibus addunt *scientiam Dei mediam*, qvæ pro objecto habet futura conditionata, sive inter meram possibilitatem, & certam existentiam intermedia. *Sensus* cum Deo tribuuntur, item *membra*, id sine dubio improprie, vel analogice intelligendum est; qvatenus per ea Attributa divina pro imbecillitate nostra exprimuntur.

§. 27. Præterea in aprico est, plures Deos existere non posse. Cum enim Deus concipi non possit, nisi tanqvam Ens summe potens, summe sapiens &c. intelligi non potest, qvomodo præter unum tale Ens, adhuc aliud existere possit, cum & alias in eodem genere duo aut plura summa dari repugnet. Accedit, qvod per infinitum in Deo nihil aliud concipiamus, qvam, nihil in rerum natura exi-

existere, juxta qvod mensurari perfectiones divinæ possint. Contradictio proinde foret, duos infinitos, sive Deos dicere, cum unus alterum absoluta necessitate excludat. Illud etiam manifestum, in exprimendis attributis divinis utendum esse terminis *negativis*, qvibus non tam exprimitur, qvid sit Deus, qvod capere non possumus, qvam qvid non sit; vel *superlativis*, qvibus innuimus, nos majus qvid eo, aut perfectius mente complecti non posse, vel deniqve *indefinitis*, qvibus certum perfectionum in Deo existentium gradum non determinamus, qvod & intellectus nostri captum exsuperat. Excluditur proinde hic stolida acriculorum qvorundam intemperantia, qvi ita perpetuo inani subtilitate sua infinitum illud circumludunt, ejusqve contemplationi inhærent, qvasi tandem exhaurire illud, suiqve ingenii limitibus circumscribere possint. Satius enim longe est, immensum illud devoto silentio, & tacita mentis veneratione mirari, qvam supetfluo imbecillis ingenii acnmine rimari.

§. 28. *Rectus in Deum cultus*, qvem respiciunt potissimum propositiones practicæ,

nihil aliud est, qvam *cogniti Numinis veneratio certis legibus Naturalis Juris definita.* Colitur autem Deus *duplici* cultu, *interno* & *externo.* Ille est, *qvi in animo & ex animo Deo vero preces concipit, laudes, grates.* Hic autem, *externus* nimirum, est, *qui eadem per gestus & signa expromit.* vid. *Lipsi. Polit. L. I. c.* III. §. 1.2. Fundamentum autem concipiendarum precum, laudum & gratiarum est *honor*; qvi est nihil aliud, qvam æstimatio alterius, seu opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate; & hic honor non in honorato, sed honorante est.

§. 29. Honor autem post se trahit (1.) *amorem*, qvi ex opinione bonitatis nascitur, cum aliqvem clementem, benevolum, & erga nos bene affectum novimus; qvæ alias bonitas respectiva audit; qvod cum de Deo constet, inde merito in eum ardentissimo amore ferimur. (2.) *Spem*, qvæ reqvirit utriusqve, potentiæ & bonitatis alienæ opinionem, secus atqve vult *Hobbes. d. Cive cap. 15. §. 9.* ubi eam ad solam bonitatem refert. (3.) *Acqviescentiam* in Voluntate divina, qvam novimus optimam. (4.) *Timorem*, qvi

qvi nasci in nobis debet ex contemplatione potentiæ immensæ Dei, habitus autem simul ad Bonitatem Divinam respectus efficit, qvo minus timor hic servilis sit, cun odio & aversione animi conjunctus; qvalis est in servis erga Dominos; sed filialis, qvalis est piorum liberorum in Parentes. *Aristot.* I. *Oeconom.* VI. Prior ille, servilem dico, in superstitione plerumqve inest; á qva eo diligentius cavendum nobis, qvo ad eam naturæ vitio proniores sumus. *Lipsi. Pol. L.* I. *c.* III. §. *10.* ii præcipue, qvi fæmineæ imbecillisqve naturæ sunt. Nihil ea pejus, aut libero altoqve animo indignius; nunqvam enim, qvi ea est imbutus, qvietus esse potest. *Cic. d. Finibus 1. 48. 4.* (5.) *Obseqvium*, internum scilicet illud, qvod in submissione devota voluntatis nostræ facta Voluntati Divinæ consistit; idqve intuitu potentiæ divinæ & bonitatis, qvam nostri productione, gubernatione universi, aliisqve beneficiis declarat.

§. 30. Externæ actiones, qvibus versamur circa Deum, debent esse signa honoris, qvem Deo interne exhibemus; Unde seqvitur, Deo (1.) agendas gratias; Gratiarum a-

ctio enim seqvitur beneficium acceptum; a Deo autem, tanqvam omnis boni fonte, continuo uberrimi gratiæ & beneficiorum velut rivi ad nos eunt. (2.) Obseqvendum voluntati divinæ; tum qvod sciamus, Deum etiam ab invito obseqvium extorqvere posse; tum qvod eum ob bonitatem suam nihil mali nobis præcipere posse, certi simus. (3.) hominem admirari debere ejus magnitudinem; idqve ob summas ejus perfectiones, a qvarum opinione admiratio proficiscitur. (4.) Eundem precibus implorandum, propter ejus summam potentiam, qva nos juvare potest, & bonitatem, qva miseris auxiliari vult. Qvod si non præsto sit, qvod petimus, semper cogitandum, fortasse petiisse nos, qvod vero nomine pœna & malum est. (5.) Si jurandum sit, per solum Deum fieri hoc oportere. Juramentum enim est in eum casum, qvo qvis sefellerit, imprecatio contra se ipsum iræ illius, qvi scrutari corda & punire qvantumvis potentem possit. Utrumqve autem in solum Deum cadit. Nam si qvis alius id posset, non juramento, sed nuda promissione opus foret; sed & ob easdem rationes juramentum est religiose servandum; qvod

καρδιογνώστης Deus, & scit, an fallamus, & malitiam ulciſci poteſt; ſed & vult ob ſuam juſtitiam. (6.) Circumſpecte & conſiderate de Deo faciendam mentionem; qvod is eſt ens ſumme potens, adeoqve profunda veneratione proſeqvendum.

§. 31. Unde fluit, non uſurpandum eſſe nomen Dei temere, & in re nullius momenti; utrumqve enim inconſideratum eſt; neqve jurandum, cum non eſt opus. Duobus autem caſibus opus eſt. Primo cum res inter ſummos Imperantes agitur, ubi ſæpe certamen violentum evitari, & res juramento expediri poteſt. Deinde in judiciis, ut rerum certitudo eruatur; qvod tamen nonniſi tum faciendum, cum Veritas aliter haberi neqvit; Qvoties igitur probatio per documenta, aut teſtes, aut ſimile medium fieri poteſt, toties ad hoc ſubſidiarium medium non eſt confugiendum. Item inde ſeqvitur, in verbis & qvæſtionibus de Deo non nimis pruriendum eſſe; cum hæc ſit intemperantia ingenii, Deum qvaſi ſuis limitibus circumſcribere volentis, adeoqve ſumme vitioſa. Præterea, ut, qvicunqve cultus Deo exhibe-

tur, is in suo genere sit eximius; id enim ejus magnitudo & summa perfectio desiderat; Qvamvis & illud constet, Deo nihil gratius esse, qvam miseri peccatoris suspiria interrupta, & motus cordis, qvibuscunqve tandem verbis exprimantur; Deniqve ut Deus non solum secreto, sed & publice & in aliorum conspectu colatur; idqve potissimum propterea, ut alii nostro exemplo ad honorem Deo exhibendum incitentur; Et si præterea ceremoniæ qvædam in se indifferentes legibus præceptæ fuerint, eæ haud negligendæ sunt; *nec patrius mos contumaciter repudiandus*; *Cic. d. Div. l. 2. c. 33.* Deniqve id omnibus viribus agendum, ut, qvantum fieri potest, conformiter legibus naturalibus vivatur; cum a miseris & imbecillibus creaturis nihil Deo gratius præstari qveat, qvam si ejus leges religiose observentur; Atqve ita tandem habendum: Cultum Dei esse optimum, eundemqve castissimum, atqve sanctissimum, ut eum semper pura, integra, incorrupta & mente & voce venereris.

§. 32. Religionis Naturalis finis primarius ex intentione Dei est cultus suus a creatura

tura rationali debitus, secundarius autem socialitatis salus. Et in statu qvidem integritatis, qvi nobis ex sola Revelatione notus, homo per religionem naturalem beatitudinem æternam consequi potuisset. Nunc autem in statu corruptionis, cum in seipsum descendit, atqve cognitionis de Deo sibi inexistentis finem scrutatur, statim ipsi occurrit societatis humanæ salus, qvam certo & infallibiliter per cultum divinum promoveri, evidenter videt; ad aliam autem vitam consequendam, eam facere, non liqvido cognoscit; sed tamen cum valde ipsi videatur probabile, & animam humanam immortalem esse, & aliam post hanc vitam sperandam, in qva bonis bene, malis autem male sit futurum; inde Religionis Naturalis effectus pædagogicus emergit; qvod nimirum homo, ea mediante, duci ad Theologiam revelatam & salutarem debet.

§. 33. Sed cum in disciplina J. N. non ad probabilia, sed ad ea, qvæ certo & evidenter ab omnibus gentibus cognoscuntur, attendendum sit; inde non male fecit *Pufendorfius*, qvod Religionis Nat. effectum intra hujus vitæ sphæram concluſit, & sic viden-

videntur qvodammodo conciliari posse, qvæ ipse habet *d. Off. Hom. & Civ. L. I. C. IV.* §. præcipue *8.* cum iis, qvæ hac de re passim Theologi.

§. 34. Neqve etiam dici potest, qvicqvam Religione Naturali præcipi, qvod Theologiæ revelatæ repugnet. Nec enim est, nisi una Veritas; Utraqve Theologia a Veritatis fonte Deo, qvi ob summam sapientiam & veracitatem de eodem objecto contraria pronunciare non potest. Qvamvis illud fatendum sit, hominem, utut Religione Naturali imbutum, tamen objecta Theologiæ revelatæ propria non assequi, qvæ tamen propterea haud negat, sed eorum potius veritatem doceri plenius vehementer cupit.

§. 35. Religionis autem magna vis in mentes humanas est. Hoc vinculo eæ colligantur, huic tanqvam basi & firmissimo fundamento innititur socialitatis salus. *Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus, Livii*, lactei scriptoris, verba sunt, *5. 51. 7. Religio & timor Dei solus est, qvi custodit hominum inter se societatem*, inqvit *Lactant. de Ira lib.* I. *c.* 12. Et *Plin. L.* 14. *Histor. Nat. cap.* 19. *I.*

19. 1. *Religione vitam constare* ait. Cumulari hic multa Sapientum dicta possent; sed qvid iis opus? Si dubitas, fidem habere verbis, percurre qvæso hoc universum, aut si mavis, historiarum annales excute; an unqvam aut usqvam stetit Respubl. sine aliqva Religionis specie?

§. 36. Enimvero ut eo clarius appareat, qvam insignia ex religione commoda ad societatem humanam perveniant, age, consideremus hominem qvoad duplicem statum, naturalem & civilem. In naturali statu dicuntur vivere, qvi ad se invicem spectati nec imperantes, nec parentes sunt, neqve proinde ipsi in alicujus imperium concesserunt; Qvem statum naturalem hodie repræsentant Majestates seu Imperantes ad se invicem considerati, qvi proinde etiam juribus ad talem statum pertinentibus reguntur. In hoc ergo naturali statu, si removeas omnem Numinis metum, qvisqve rebus alterius licite inhiaret, eum pro lubitu insidiis, aut modo alio aggrederetur; nulla deniqve promissis fides esset, sed pro arbitrio suo ab iis homo recedere posset; Neqve enim regula illa: *Fides est servanda*, vim legis obtineret, ob deficientem idoneum ejus auctorem.

§. 37.

§. 37. Sed nec major securitas in statu civili; Neqve enim, vinculo religionis deficiente, aut imperantes a subditis tuti, aut hi inter se invicem. Ut enim in officio manerent, solius temporalis pœnæ metus non sufficeret; cum sæpe vindictæ, aut alius boni apparentis cupiditate, ipsa vita vilis futura esset. Fides autem imperantibus data propterea a malo cives non retraheret, qvod ad eam servandam nulla valida & efficax obligatio adesset. Tum ergo qvi vitam contemneret suam, dominus vitæ imperantis esset, cum supra mortem nihil metuendum esset. Dari autem tales homines, qvi ad sui usqve contemtum perveniunr, experientia satis constat. Causam autem, cur qvis imperanti nocere vellet, & occasionem non defuturam esse, manifestum est. Neqve major Civibus inter se securitas, qvod pluribus argumentis *Pufendorfius* demonstrat.

§. 38. Qvamobrem cum ex his constet, necessarium prorsus, idqve firmissimum socialitatis vinculum, religionem esse, inde apparet, serio omnes *Atheismo* vias obstruendas esse; & illa Reipubl. carcinomata, eos dico,

dico, qvi tam impias & perversas sententias fovent, exscindenda esse, ne pars sincera trahatur. *Lactant. Lib 5. Instit. c. 8. Ideó*, inqvit, *mala omnia rebus humanis cottidie ingravescere; qvia Deus mundi hujus effector & gubernator derelictus est; qvia susceptæ sunt contra, qvam fas est, impiæ religiones.* Qvod oraculum est ævo hoc pruriente.

Caput Nonum.

DE

OFFICIIS ERGA SE IPSUM.

§. I.

PRogrediendum nunc est ad officia, qvæ ratio ab homine erga seipsum exerceri imperat; qvalia utrum dentur, nonnulli dubitant, tum qvod ex insito amore qvilibet sui curam agat, tum qvia nulla obligatio in seipso terminari, sed alium semper terminum reqvirere videatur. Enimvero cum multos hanc curam vel insuper habere, vel saltem negligenter

ter

ter exercere, experientia doceat, fructus etiam atqve utilitas ejusdem ad alios homines referenda sit, inde manifesta est horum officiorum necessitas, atqve cum vita sociali nexus.

§. 2. Officia vero, qvæ homini erga seipsum incumbunt, ad duas classes, culturam animi & corporis, revocari possunt. Animi cultura tribus potissimum partibus absolvitur. *Prima* est, ut de iis, qvæ ad officium hominis pertinent, rectæ sententiæ animo imprimantur, exstirpenturqve periculosæ, & cum socialitatis damno conjunctæ persvasiones; qvale dogma v. gr. de fato Stoico, & immutabili rerum necessitate est. Pertinet huc etiam sui notitia, citra qvam homo ad veram prudentiam & sapientiam frustra adspirat.

§. 3. *Altera* est, ut circa ea, qvæ appetitum stimulant, judicium recte formetur, neqve res ex fuco & apparatu externo, sed vero sui pretio æstimentur. Qvod eo pertinet, ne species inanium hominem capiat, atqve a recto virtutis tramite abducat. *Tertia* deniqve est, ut homo animi motus refrænare, atqve imperio rectæ rationis subjicere discat.

Qvo

Qvo intuitu vitandi conprimendiqve omnes affectus sunt; cum omnes istæ commotiones animum turbent, & in officii partibus recte obeundis impediant.

§. 4. Mature etiam honestum vitæ genus eligendum, ne qvis inutile pondus terram premat, sibi gravis, aliis molestus. Studia vero omnia ad aliqvem in vita civili usum referenda sunt; citra qvem nonnisi ad animum a gravioribus negotiis recreandum adhibenda. Corporis qvoqve habenda ratio, ne vel intenso nimis labore, aut immodico voluptatis usu vires ejus atterantur affligantur-qve.

§. 5. Proximum est, ut videamus, qvid Juris homini ad vitam suam conservandam competat. Et in genere qvidem obligatio ad hanc tuendam necessarium cum vita sociali nexum habet; citra qvam si foret, & cuiqve vitam profundere liceret, conservari genus humanum haud posset. Qvæ obligatio tamem eo referenda haud est, qvasi eligere occasionem probabilem brevioris vitæ haud liceret, siqvidem per eandem socialitatis salus largius promoveri qveat.

§. 6. Graviter vero peccant, qvi vitam

abrumpunt vel tædio moleſtiarum, qvas perferunt, vel ſceleris conſcientia, aut metu pœnæ, vel etiam per vanam fortitudinis aut fidei jactantiam. Unde & Jus Civile ejusmodi propricidas variis pœnis poſt ſcelus perſeqvitur, utputa bonorum confiſcatione, *l. 1. C. d. bon. eorum, qvi mortem ſibi.* Sepultura canina, vid. *Carpz. JPr. Conſ. 2. d. 377. ſeq. num. 30.* Inchoata vero, ſed nondum conſummata ἀυτοχειρία arbitraria pœna coerceri ſolet. *Carpz. Pr. Cr. q. 2. num 44. ſeqq.* Enimvero cum in omni delicto reqviratur dolus, liqvet, hæc ad eos non pertinere, qvi ex melancholia aut furore violentas ſibi manus intulerunt. Qvamvis in ſepeliendis ejusmodi hominibus ceremoniæ temperari ſoleant. *Carpz. c. l.*

§. 7. Cum vero non ſemper defendi a nobis vita citra læſionem aggreſſoris qveat; inde violenta defenſio oritur; de qva magna eſt inter Moraliſtas contentio; cum qvidem nos eandem inter res Jure N. indifferentes reponamus. Ex qvo conſeqvitur, uſurpari eandem atqve omitti citra peccatum poſſe. *vid. l. 3. ff. d. l. & I. O. C. a. 131.*

§. 8. Sed hæc defenſio cum moderamine certo inſtituenda; unde reqvirit juſtam cauſam

causam, modum, & tempus. Causam justam violenter se tuendi præbet injusta invasio, cum insigni periculo conjuncta. Unde auctor rixæ ad hanc defensionem frustra provocat. *vid. l. 6. C. Ad. L. Jul. d. vi publ. l. II. ff. ad. L. Aquil.* Eoqve casu homicida nullam excusationem invenit; unde consequitur, etiam ordinaria pœna, qvæ jure positivo statuta est, plectendum eum esse. *Damhoud. Pr. Crim. c. 76. n. 3. Berlich. P. 4. Concl. 13. n. 5.* Neqve enim hic exitus, sed principium atqve intentio spectanda est. *Carpz. d. l. n. 43.*

§. 9. Nec minus is ratione causæ excessum in defensione committit, qvi ab alio offensus ex iracundia tertium occidit; atqve adeo capitali supplicio afficiendus est; cum nulla occisi culpa provocatus fuerit; nisi cum adversus provocantem justo moderamine uteretur, gladius in tertii caput forte præter intentionem aberraverit; cum de fortuito casu nemo respondere teneatur. *Berlich. c. l. Concl. 10. n. II. add. O. C. art. 145.*

§. 10. Offensio vero ejusmodi esse debet, qvæ in præsenti vitæ discrimine aliqvem constituat; alias causam violentæ defensioni justam haud præbet. Unde qvi verbis

tantum contumelioſis ad pugnam evocatur, in ſtatu civili eandem licite haud capeſſit, ſed ultionem injuriæ Magiſtratui committere debet. Qvo caſu tamen ſi cædes facta, exceſſus ob acrem, qvo qvis concitatus eſt, dolorem a pœna ordinaria immunis eſt. Qvod legislator Saxo in *P. 4. Conſtit. 10.* confirmavit, & relegationis ſimilemve pœnam ſubſtituit. Qvæ pœna tamen exaſperanda in eo eſt, qvi citra contumelioſa verba, ſed provocatus tamen', alterum occidit; unde huic fuſtigationem cum perpetua relegatione dictatam eſſe, meminit *Carpz. d. l. n. 89. ſeqv.*

§. 11. Modus juſtus, qvem diximus in repellendo aggreſſore ſervandum, complectitur defenſionem,' qvæ offenſioni reſpondeat, adeoqve eadem gravior haud ſit. Qvod tamen non ex æqvalitate armorum, ſed circumſtantiis æſtimandum eſt; ita ut lethalibus armis qvæcunqve alia opponi qveant. Qvo circa nulla pœnæ mitigandæ cauſa ſubeſt, cum qvis verba aculeata, vel aliud factum, qvo nonniſi leviter offendi potuit, cæde ultus eſt; atqve adeo a pœna ordinaria legibus poſitivis ſtatu-

statuta his casibus recedendum haud est. *Vid. Carpz. d. l. Q. 30. n. 8. & 14.*

§. 12. Ubi vero periculum qvidem vitæ imminet, sed qvod aliter, qvam perimendo aggressorem, evitari possit, cædem non qvidem impunitam relinqvi, sed tamen mitiori, qvam qvæ in homicidas statuta est, pœna coërceri par est; cum in priori qvidem casu nulla plane defensione opus fuerit, hoc vero nonnisi circa modum ejus excessus commissus sit. *Conf. O. C. a. 240.* Unde in judiciis nunc fustigatio, nunc relegatio, similisve pœna arbitraria pro modo admissi dictari solet.

§. 13. De alapa celebris qvæstio est: An ea vel imminens evitari, vel impacta vindicari, propter ignominiam, cum qva conjuncta est, per extrema impune qveat? Nos in statu qvidem Naturali laxiorem hic potestatem esse, fatemur; sed in statu civili, cum, qvod eo modo existimationi alicujus opinione hominum detractum est, reparari per magistratum qveat, id neutiqvam permissum; qvamvis pœnam talis homicidæ mitigari æqvum sit. Add. *Pufend. d. J. N. & G. L. II. c. V. & Grot. d. l. B. & P. l. II. c. I. §. 10.* Qvem in modum

pronuntiari in judiciis solere, memorat *Carpz. c. l. n. 39. seqq.*

§. 14. Liqvidum præterea est, qvamvis in statu naturali nulla detur obligatio ad periculum fuga declinandum; in civitate tamen & sine dedecore eam capessi posse, &, qvoties commode fieri potest, arripiendam; qva tamen neglecta occisori pœnam ordinaria mitiorem infligi convenit. Exemplum multæ præter solutionem Wergeldi hoc casu Nobili dictatæ est apud *Carpz. c. l. n. 67. jung. Pufend. c. l. §. 13.*

§. 15. Injuriæ autem verbales, nisi plane atroces sint, ad mitigandam pœnam in statu civili non prosunt; qvippe qvas convenienti actione vindicare in proclivi erat. Unde in judiciis ob injurias leviores commissa cædes regulariter pœna Legis Corneliæ punitur; præsertim si ea non in continenti, sed interjecto qvodam temporis spatio secuta fuerit. Add. *Carpz. c. l. n. 76.* ubi præjud.

§. 16. Suspicio vero sola, ex communi hominum pravitate orta ad alterum sub obtentu defensionis opprimendum haud sufficit. Unde justum tempus violentam sui tutelam suscipiendi in statu Naturali incipit, cum alter

præter

præter facultatem etiam voluntatem nocendi ostendit. In statu civili vero, cum propter instans periculum implorare auxilium magistratus non licet. Perdurat autem spatium inculpatæ tutelæ in statu Naturali, qvoad periculum depulsum, & vires nocendi aggressori acciſæ sint. In statu autem Civili cessat, cum præsens periculum depulsum est; cautio enim de non amplius offendendo publice per magistratum exigenda est. Add. *Maurit. d. vit. defens. favor. th. 20. Huber. in Præl. ad π. t. Ad L. Cornel. de sicar.*

§. 17. Sed si tempus justum in hoc moderamine neglectum fuerit, refert, utrum, depulso qvidem periculo, sed brevi tamen tempore post, cum iracundiæ fervor adhuc duraret, ad cædem qvis pervenerit, an vero longius tempus, qvo mentem qvis ex præterito discrimine plene colligere atqve recipere potuit, interceſſerit. Prior casus aliqvam, posterior vero nullam excusationem admittit. Unde in judiciis illo casu arbitraria, hoc vero ordinaria pœna mortis dictari solet. Qvo faciunt ea, qvæ habet *Carpz. c. l. n. 27. seqq.*

§. 18. Ad expediendam vero defensionem violentam sufficit, nullum aggressori

jus invadendi esse, adeoqve nec alterum obstrictum ad mortem gratis exipiendam. Ex qvo jam innumeri casus definiri qveunt; præsertim vero qvod etiam contra furiosum, aut lunaticum, vel diris insomniis agitatum violenta sui tutela usurpari possit; ut tamen in ejusmodi casibus iuculpatæ defensionis reqvisita magis ad vivum resecentur, qvam cum per dolum qvis invaditur; recte monente *Pufendorfio*, *Tr. d. J. N. & G. L. II. c. V. §. 5. Add. Grot. d. J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 3.*

§. 19. Nec vero solum in sui, sed & alterius cujusqve defensionem, justo hoc moderamine servato, cædes impune perpetratur; cum inter officia qvorumlibet erga qvoslibet præcipuum sit, ut qvis vitam aliorum tueatur atqve defendat. Hoc casu ergo itidem nulla occisor pœna affici potest. Conf. *O. C. art. 150.* Imo non solum necessaria hæc defensio cum cæde aggressoris ad vitæ, sed membrorum etiam conservationem pertinet; cum hæc, præsertim nobiliora, non minoris, qvam ipsa vita æstimentur; & cum ad mensuram vulnera haud dentur, semper fere ipsius vitæ periculum metuendum; deniqve mutilationem ejusmodi pati supra constan-

stantiam humanam sit; ad qvod homines legislator adstringere non censetur. Cumqve pudoris integritate decus seqvioris sexus constet, ejusqve semel amissæ damnum irreparabile sit, patet, hanc qvoqve cum cæde violatoris recte asseri. Neqve ab hac Juris N. permissione leges positivæ recedunt, qvæ etiam gravissima supplicia in hujusmodi violatores constituerunt.

§. 20. De violenta rerum defensione anceps qvæstio est. Sed qvia citra has vita servari neqvit, neqve earundem invasor ullo jure, qvod in ipso hæreat, contra extrema munitur, hinc cum cæde eum repelli posse, nullus ambigo. Qvod tamen cum temperamento acipiendum est, ne ad res viles, & qvæ contemni mereantur, neqve etiam ad eum casum, qvo recuperari alia ratione qveant, necessaria hæc tutela extendatur. Hypothesis vero, qva contrarium sentientes nituntur, qvod reo majus bonum, qvam ipse in altero perdidit, adimi non debeat, falsa est, & proportio inter pœnam & delictum, non ex hujus objecto, sed respectu ab legem, qvæ violata est, & publicam tranqvillatem metienda est.

§. 21. Neqve aliud Jure Positivo consti-

tutum est. Unde *O.C. art. 150.* hujusmodi invasoris occisionem inter homicidia impunita expresse refert. Qvem textum nonnulli de eo casu, qvo cum vitæ periculo rerum amissio conjuncta est, accipiunt, sed & recta interpretatione, & Praxi repugnante. Ex qvo jam facile etiam ratio constat legis *4. ff. ad L. Aqvil.* cædem nocturni qvidem furis simpliciter, sed diurni tum demum, si telo se defenderit, permittentis. Add. *Exod. XXII. 2.* Nam ab hoc qvidem res ablatæ recuperari possunt; qvod in illo, cum per tenebras cognosci non possit, secus est.

§. 22. Nec vero mirum est, Jure Divino atqve Civili, qvod utrumqve tamen furis etiam deprehensi vitæ parcit, tantam licentiam privatis concedi; cum leges istæ præsupponant, res ablatas a fure deprehenso restitui atqve recuperari posse; qvæ ratio in eo casu, ubi res a fure nocturno cum ejus cæde vindicantur, cessat. Add. *Pufend. d. J.N. & G. l.* II. *§. 17.* Unde consequitur, eorum sententiam, qvi violentam rerum defensionem ad casum, qvo vita simul periclitatur, restringunt, nec juri, nec ejus rationi convenire. Neqve eandem juvat *l. 9. ff. Ad L. Corn. d. sicar.* Vox *periculi* enim non ad per-

ad personas tantum, sed res qvoqve referenda est. Illud certum est, si fur nocturnus capi qveat, ad ejus occisionem non esse perveniendum. Unde hoc casu pro modo circumstantiarum homicidæ nunc fustigationis, nunc carceris, aliave arbitraria pœna dictari solet. Vid. *Carpz. Pr. Cr. P. I. Q. 30. n. 40. seq.*

§. 23. Sed cum nemo per vim atqve injuriam alterum invadere censeatur, inde pro occisi innocentia præsumtio militat. Ex qvo fluit, in judiciis inculpatam defensionem ab allegante probandam esse. Qvo pertinet vulgata regula, qvæ Juris qvoqve Naturalis est, ea, qvæ facti sunt, non præsumi, sed esse probanda. *l. 5. C. d. injur. add. l. 2. C. ad L. Corn. d. sicar.* De qva probatione manifeste etiam *O. C. art. 141.* disponit. Ubi tamen innocentiæ opinionem tantus favor comitatur, ut pro ea ex officio laborandum sit judici. vid. *l. 19. ff. d. pœn. j. l. un. C. Ut qvæ desunt Advoc.* In qva probatione conficienda non sufficit, qvod aliqvi volunt, solam invasionem deduxisse, sed reliqva etiam inculpatæ tutelæ reqvisita probanda erunt; nisi saltem extraordinariam pœnam accusatus sustinere velit.

§. 24. Admittendi vero in hac probatione

tione etiam illi teſtes, qvi alias minus ſunt idonei. Neqve obſtat *l. ult. C. d. probat.* qvæ de illo caſu, ubi de condemnando, non vero liberando reo agitur, exaudienda eſt; præſertim cum in ejusmodi perplexo negotio, qvod difficillimæ probationis eſt, ad vivum omnia reſecari reqveant. Qvod ſi vero nulla alia probatio ſuppetat, neqve etiam præſumtiones pro inculpata defenſione militent, torturæ ſubjiciendus homicida eſt; qvod ſolum extorqvendæ veritatis remedium hoc caſu ſupereſt. Vid. *Conſt. El. 8. P. 4.* Præſumtiones autem & conjecturæ, niſi alia probatio accedat, non ſufficiunt ad declinandam omnem pœnam; qvamvis ab ordinaria liberent. Add. *cit. Conſt. in fin.*

Caput Decimum.

DE FAVORE NECESSITATIS.

§. I.

Cum violenta ſui defenſione connexa eſt materia de favore neceſſitatis, in cujus indolem nunc paulo altius inqvirendum; ut appareat,

pareat, utrum, & qvomodo eadem ab obligatione legum communium actum aliqvando eximat.

§. 2. Ubi primo illud expeditum est, qvod, qvantumvis magnam efficaciam circa moralitatem actionum humanarum necessitas habeat, ea tamen efficere haud possit, ut lex in casu, ad qvem obligatio ejusdem pertinet, obligare desinat. Cum enim certa est legislatoris voluntas, nullo prætextu qvis exemtionem a lege asserere sibi potest.

§. 3. Præterea dubium non est, qvin legislator tam rigidam alicui obligationem injungere qveat, ut mors potius excipienda, qvam a lege lata discedendum sit. Qvod non solum in Divino, sed humano etiam legislatore propter jus vitæ & necis, qvod huic in subditos competit, procedit. Sed cum legislator voluntatem suam desuper expresse non declaravit, non censetur sub lege a se generaliter lata eum casum comprehendere voluisse, ubi obligationem legis comitaturum esset malum, qvod supra constantiam humanam est. Malum vero ejusmodi præcipue jactura vitæ atqve membrorum existimatur.

§. 4. Et hic casus necessitatis est, qvem omnes

omnes in ore ferunt, & qvi vulgo nullam dicitur legem habere. Ratio vero, propter qvam ejusmodi casus a lege exceptus intelligitur, ea est, qvod legislator, cum legem sancit, censetur utiq; ante oculos habere civium suorum indolem, & humanæ naturæ teneritatem, cumqve per eandem Reip. suæ salutem atqve commoditatem promotum eat, ad casus necessitatis, & ubi observatio legis cum vitæ periculo aliove malo conjuncta est, eam extendi velle non præsumitur.

§. 5. Qvocirca necessitas non id efficit, ut peccatum committi qveat, sed benevola legislatorum mente, & recta legum interpretatione nititur. Et in legibus qvidem positivis res expedita est. De naturalibus vero, an parem interpretationem admittant, multi dubitant. Sunt vero præcepta Naturalia duplicis generis, vel affirmativa, vel negativa. Illius generis officia exerceri neqveunt, nisi materia & facultas agendi adsit; qvæ in casu, ubi vitæ, vel aliud grave discrimen adeundum, deficere intelligitur, propter tenerrimum sui amorem, curamqve, qvam omnibus natura insevit.

§. 6. Hæc ergo præcepta affirmativa, nisi ex negotii qvalitate appareat, mortem potius

tius excipiendam, qvam ab illis diſcedendnm, exceptionem ſummæ neceſſitatis habere cenſentur. Sic non teneor vitam alterius ſervare, ſi mihi pereundum fuerit. Unde in foro nulla in eum pœna ſtatui poteſt, qvi alienæ cædi interfuit, qvam citra ſuæ vitæ periculum avertere non poterat.

§. 7. Atqve hoc de præceptis mere affirmativis indiſtincte verum eſt; In negativis vero id ſecus. Ubi primo liqvet, ea, qvæ Numinis violationem prohibent, nullo caſu exceptionem pati; qvod metu cujusqvam periculi in honorem Divinum derecte delinqvere, nefas fuerit. Sic ergo blaſphemia per vim extorta etiam in foro civili coercenda eſt; ſed pœna tamen ordinaria mitior imponenda. In illis vero præceptis negativis, qvæ hominum inter ſe officia dirigunt, exceptio ſummæ neceſſitatis ſemper ſubeſt; id qvod ex cujusqve actus atqve negotii indole liqvido demonſtrari poteſt. Qvamobrem ut vitam noſtram conſervemus, ejusmodi actum aliqvando licite ſuſcipimus, qvo alter in mortis aut magnæ læſionis diſcrimen indirecte adducitur.

§. 8. Pari ratione ſi utriqve in aliqvo periculo pereundum fuerit, licet uni ad ſalutem

tem ſuam redimendam qvid facere, per qvod alteri fata jam imminentia maturenrur. Qvæ pluſculis exemplis declarat *Pufendorfius L. II.C. 6. §. 3. ſeq.* qvi judicium ſuum ibi non aliam ob cauſam ſuſpendere videtur, qvam qvia caſuum, qvos proponit, deciſio primo intuitu dura nimis videri poterat, cum tamen de mente *Pufendorfii* ex principiis ab eodem *cit. loc.* demonſtratis manifeſte conſtet. Horror vero, cui ratio nulla ſubeſt, in definienda actuum moralitate contemnendus, animoqve ejiciendus eſt.

§. 9. Tanta vero neceſſitatis efficacia eſt, ut ejus intuitu aliqvando inperfecta obligatio naturam perfectæ induat, atqve adeo qvis plene poſci qveat, ad qvod alias nonniſi ex humanitate tenebatur. Neqve enim ea vis dominii atqve proprietatis eſt, ut ſi qvis obligatione ſibi incumbente ſe exſolvere nolit, res debita per magiſtratum in ſtatu Civili, aut per vim bellicam in libertate naturali eripi neqveat. Ex qvo conſeqvitur, furti crimen non incurrere eum, qvi in extrema inopia res alienas, ad præſens vitæ periculum avertendum neceſſarias vi vel clanculum ſubducit. Qvod tamen ad eum caſum reſtringendum eſt,

eſt, qvo nec alter ipſe eget, & ejus pertinacia vel precibus, vel oblatis operis expugnari haud potuit; atqve ita, ut intentionem qvis ſimul habeat, rerum ablatarum æſtimationem, ſi fata mollius fluere cœperint, reſtituendi.

§. 10. Qvamvis autem poſt conſtitutas civitates caſus ejusmodi, ubi enumerata reqviſita omnia concurrant, vix dari qveat; aliqvando tamen evenire poſſe, negari neqvit. Ut ſi qvis per regionem deſertam cum locuplete comite iter faciat, atqve ab omnibus rebus deſtitutus eum roget, ut egeſtati ſuæ ſubveniat, non apparet, qvidni in reluctantem & pertinacem hoc jure uti liceat. vid. aliud exemplum apud *Pufendorf. d. l. N. & G. L. II. c. VI.* §. 5.

§. 11. Neqve vero audiendus eſt *Grotius* qvi *L. 2. c. 2.* §. *6.* facultatem in ejusmodi neceſſitatis caſu res alienas eripiendi inde deducit, qvod in primæva dominiorum diſtinctione inter homines tacito pacto convenerit, qvod dominii vis eo caſu expirare debeat, qvo citra res uni proprias alter ſervari neqvit. Nam, ut recte *Pufend. c. l.* §. *6.* oſtendit, ſtante ejusmodi pacto, res alienæ, qvamvis iisdem ipſe Dominus opus haberet, tanqvam in medio po-

sitæ arripi possent, neqve earundem restitutio facienda esset; qvæ reqvisita tamen, consensu omnium, hoc casu concurrere oportet. Sicuti etiam nullum discrimen constituendum esset inter eos, qvi merito suo egent, & qvi casu fortuito præter culpam suam ad incitas redacti sunt.

§. 12. Unde illud qvoqve consequitur, hujusmodi contrectationem furti nomine venire haud posse. Neqve enim lucrifaciendi animus, qvi in furto proprie sic dicto reqviritur, eo casu adesse intelligitur, qvo qvis extremæ necessitati consulit, & vitæ periculum declinatum cupit. Qvod adeo verum est, ut, si rem recte æstimes, ne qvidem res aliena contrectari videatur, cum alter ad eandem mihi tradendam ex obligatione sibi incumbente tenetur; qvam obligationem, qvamvis regulariter imperfecta sit, hic tamen indolem perfectæ habere, in superioribus ostendimus. Illud sane dubium, qvod nonnulli objiciunt, nullam legis dispensationem hoc casu doceri posse, vanum recte judicat *Pufendorf. c. l.* §. 7. cum lex, qvæ furtum prohibet, ad hunc casum plane non respiciat, sed is ex præsumta legis-

legislatoris mente per rectam interpretationem ab eadem eximendus sit.

§. 13. Deniqve propter necessitatem atqve urgens periculum res alienæ etiam perdi atqve invadi qveunt, cum eo tamen temperamento, ut ipsi in partem damni, qvod alteri datur, veniamus, neqve res nostræ, qvæ per illarum jacturam servantur, viliores sint, atqve periculum alia commodiore via declinari haud possit.

§. 14. Et in hoc fundamento Leges Nauticæ, & præsertim Lex Rhodia de jactu, innituntur. Ex eodem principio defendendum est, qvod, orto incendio, ædes igni vicinas, ne cæteras qvoqve flamma corripiat, diruere liceat. Qvo casu domino pro rata damnum resarciendum est. Vid. tamen *l. 7. §. 4. ff. Qvod vi aut clam*, qvæ, utrum ignis ad ædes dirutas jam pervenerit, nec ne, distingvit. Cujus legis æqvitatem examinat *Pufend. d. l. N. & G. L. II. c. VI. §. 8.* Nec minus ex hoc fonte præstatio cautionis de damno infecto, & concessio viæ ad fundum suum confinibus undiqve agris circumdatum fluunt. Et hactenus de officiis erga Deum atqve seipsum.

Caput Undecimum.

De Officiis erga proximum absolutis.

§. I.

Officiorum, qvæ homini erga proximum obeunda sunt, divisio abit in *absoluta*, & *hypothetica*. Hæc antegressum aliqvod humanum factum & institutum supponunt, in illis vero ejusmodi respectus cessat.

§. 2. Inter absoluta, de qvibus priori loco agendum, principem locum tenet, *qvod nemini læso inferri debeat*. Cujus præcepti necessarius cum vita sociali nexus in aprico est; cum, si citra hanc obligationem fuerit, nemo animum ad pacem cum altero agendam facile componat; & propter ingenii humani malitiam nemini vel ad momentum de sui, rerumqve suarum incolumitate cautum sit.

§. 3. Ex qvo præcepto aliud consequitur, *qvod damnum de facto datum ab eo, qvi intulit, resarciri oporteat*. Citra hanc enim restitutionis necessitatem a mutua læsione non abstinebunt homines, & qvasvis injurias gra-

gratis devorare, supra constantiam humanam est.

§. 4. Damni vero æstimatio non solum ex reipsa, qvæ ad nos pertinet, & ab alio perdita, aut intercepta est, sed etiam ex fructibus facienda. Qvatenus vero restitutio hæc bonæ & malæ fidei possessori incumbat, non Naturali, sed demum Civili Jure determinatum est, ubi hic qvidem omnes fructus, extantes & consumtos, perceptos & percipiendos restituere tenetur, *l. 22. C. d. R. V.* ille vero nonnisi extantes, *d. l.* nisi qvod moribus Germanorum, etiam de consumptis, qvatenus ex iis locupletior factus est, teneatur. add. *Schilt. ad π. Ex. 16. th. 56.* Qvemadmodum illud etiam mere Civile est, qvod fructus, qvi ante litem contestatam percepti sunt, nonnisi ab actore petiti, post litem vero contestatam officio judicis adjudicentur. *l. 25. §. 8. ff. d. ædil. edict.*

§. 5. Cum vero pleriqve fructus citra impensas in eos factas percipi non possint, harum deductio permittenda est possessori. Qvod & Jure Civili, nullo inter bonæ & malæ fidei possessorem discrimine facto, comfirmatum est. *l. 36. §. ult. ff. d. hær. pet.* Qvo jure etiam,

æqvitate ita svadente, inpensas in rem necessario factas utriqve deducere, *l. 5. C. d. R. V.* jung. tamen *l. 1. C. d. Infant. expos.* & voluptuarias tollere licet *d. l. 5.* Utiles vero solus b. f. possessor deducit; qvæ ipsa tamen facultas multum qvoqve coarctata est. vid. *l. 38. & 48. ff. d. R. V.*

§. 6. Cæterum ad restitutionem damni illati triplici casu qvis tenetur; Primo si ad ipsum actum, qvo damnum datum est, aliqvid realis operæ, vel certe omittendo, qvod ex perfecta obligatione facere debebat, contulerit; deinde si, ut actus ille susciperetur, antecedenter effecit, & tertio, ubi in partem emolumenti venerit. Extra qvos casus nemo recte damni reparationem poscitur, qvamvis fortasse occasione illius actus aliqvo se peccato obstrinxerit.

§. 7. Resarciendum vero damnum est, sive dolo, sive culpa datum; si modo hujus præstationem negotii indoles admittat. Leges Civiles eo casu, cum solius accipientis in negotio utilitas versatur, exactissimam ab eo, cum utriusqve, utrinqve mediam, ubi vero solus dans commodum percipit, nonnisi infimum diligentiæ gradum ab accipiente reqvirunt. *L. 5. §. 2. ff. Commod. l. 23. ff. d. R. I.* Ubi tamen a primo ca-

mo casu precarium ob revocabilitatem, *l. 8. §. 3. ff. d. precar.* ab ultimo vero mandatum, tutelam, & negotiorum gestionem excipiunt, & mandatario qvidem summam *l. 13. & 21. C. Mand.* tutori vero & negotiorum gestori mediam diligentiam injungunt. *l. 7. C. Arb. tut. l. 20. C. d. Neg. gest.*

§. 8. Damnum qvoqve ab animali, aut servo alicujus datum ab eo resarciendum est, nisi liberare se noxæ deditione velit. Qvæ obligatio ex commodus, qvæ percipit Dominus, & qvod læso alia ratione satisfieri non possit, dependet. Et hoc fundamento nituntur in foro Civili actiones noxales, & de pauperie, de qvibus sigillatim & fuse Leges Romanæ tractant.

§. 9. Qvi vulnus alteri inflixit, eumqve membro mutilavit, & impensarum in curationem factarum, & doloris, & ejus, qvod jam truncatus minus lucrari potest, nomine tenetur. Qvod Jure qvoqve Civili ita servatur, & res ex circumstantiis, personæ maxime conditione, prndentis judicis arbitrio æstimanda est. vid. *l. 13. pr. ff. ad L. Aqvil. l. 5. pr. & §. 1. ff. d. Injur. l. 7. ff. d. his, qvi dejec. vel effud.* Pari ratione qvi fœminæ florem delibavit, pu-

doremqve eripuit, ad rependendum, qvod per hoc spei nuptiarum decessit, tenetur; Qvæ reparatio in foro intelligitur fieri, qvando stuprata vel ducitur in matrimonium, vel dote augetur; cujus amplitudo celerius ipsi procos conciliet.

§. 10. Dubium, qvod hic Pufendorfius *Tr. d. J. N. & G. L. III. C. 1. §. 19.* ab invaliditate pacti circa rem turpem movet, ne qvidem jure Civili aliqvid momenti habet; utpote qvod hujusmodi pactum in favorem matrimonii confirmat. Nec minus fur atqve raptor ad damni dati reparationem devinctus est, a qva ipsum supplicii, qvod subit, gravitas non liberat, cum illa qvidem ad privatum, hæc vero ad publicum interesse pertineat. Neqve interest, utrum res furto ablata adhuc extet, nec ne; nam posteriori hoc casu æstimatio ejus a fure, hujusqve heredibus, qvamvis ad eosdem nihil pervenerit, peti potest. Ex qvo fonte Condictionis furtivæ æqvitas fluit, de qva peculiari titulo Leges Civiles exponunt. Jure tamen *Sax. El.* peculiare est, qvod furis heredes ad æstimationem rei furtivæ non amplius extantis restituendam tum demum teneantur, si vel leviori, qvam corporis afflictiva,

ctiva, pœna fur affectus sit, vel in carcere ante executionem pœnæ decesserit, *Dec. El. 86. J. P. 4. El. 12.*

§. 11. Alterum officium erga qvoslibet exercendum est, ut *qvivis alterum tanqvam naturaliter sibi æqvalem tractet.* Qvod præceptum qvam necessario cum Natura humana cohæreat, ex tenerrima sui æstimatione, qvæ cuivis hominum inest, & cujus læsionem nemo propemodum æqvo animo fert, facile liqvet. Ex qvo consequitur, rem communem inter eos, qvi æqvale jus habent, æqvaliter dividendam, aut certe ei, cui sors favet, adjudicandam. Eodem præcepto inanis fastus, aliorumqve contemptus prohibetur; prætereaqve inde Actionum Injuriarum, qvas leges Civiles concedunt, æqvitas defendi potest.

§. 12. Illud etiam inter officia absoluta refertur, *qvod qvivis alterius commoda pro virili promovere debeat.* Per hoc enim mutua benevolentia, qvæ vinculum humanæ societatis est, potissimum alitur & conservatur. Unde fluit, res innoxiæ utilitatis prompte aliis suppeditandas, pauperumqve egestatem a locupletioribus sublevandam esse. Et contra ad gratiam referendam incumbere eos oportet,

qvi per beneficia devincti sunt; qvæ obligatio tamen nonnisi imperfecta est, atqve adeo nulla actione, neqve Naturali, neqve Civili jure munita.

Caput Duodecimum.

DE OFFICIO PACISCENTIUM.

§. I.

DE Officiis absolutis breviter expositum est; succedunt jam hypothetica, qvæ institutum aliqvod humanum supponunt. Instituta vero illa humana omnia mediante pacto, eoqve expresso, vel tacito, fiunt. Unde primo de pactis agendum, per qvæ via qvasi ad officia hominis hypothetica sternitur.

§. 2. Pactorum vero cum vita sociali nexus ex eo facile apparet, qvod manifestum sit, ad eam conservandam officia humanitatis sola non sufficisse, præsertim cum & hæc a paucis ultro præstari soleant, & sæpe ejusmodi sint, ut eorum nomine beneficium alteri debere nolimus, certe rationes suas incertæ isti præstationi superstruere nunqvam tuto liceat. Pactis ergo, ex qvibus necessitas præ-

præſtandi paciſcentibus incumberet, opus fuit.

§. 3. Generaliſſimum vero circa pacta præceptum Juris Naturalis eſt: *Qvod fidem datam ſervari oporteat.* Citra hanc enim obligationem utilitas eorundem periret, maximæqve lites contentionesqve orirentur. Unde conſeqvitur, ex pacto perfectum jus naſci, vi cujus etiam invitus qvis ad exſolvendum, qvod promiſit, compelli qveat. Qvod ſecus eſt in illis, qvæ ex ſolo humanitatis officio debentur; Ea enim nullum jus agendi, ne qvidem Lege Naturali, tribuunt.

§. 4. Proxima obligationis, qvæ ex pacto oritur, cauſa eſt conſenſus, qvem cum qvis ultro præſtitit, non habet, de qvo deinceps conqveratur; & qvod ſemel placuit, in præjudicium alterius mutari non oportet. Neqve inter pactum nudum, & non-nudum hactenus diſcrimen intercedit; qvippe qvod nonniſi ad aſſiſtentiam Legis Civilis reſpectum habet.

§. 5. Conſenſus vero vel expreſſe, per ſigna nempe in commercio hominum recepta, puta verba, literas, nutusqve, vel tacite ipſo nimirum ſilentio, cum certis circumſtantiis con-

conjuncto exprimitur. Aliqvando etiam sola Lex ex ipso negotio consensum, & inde orientem obligationem inducit. Qvod in qvasi cantractibus accidit. Exemplum taciti pacti Jure Rom. est in *l. 2. ff. d. pact.* & in *l. 51. pr. ff. Locati.* De qvo tamen vid. *Pufendorf. Tr. d. I. N. & G. L. III. C. VI. §. 2. in fin.*

§. 6. Videamus jam, qvinam homines consentire, & ex consensu suo obligari possint. Ubi apparet, consensum ante omnia supponere rationis usum; hactenus, ut qvis negotium intelligere, & utrum sibi conveniat, necne, judicare possit. Unde furiosi, & amentes, nisi tempore dilucidorum intervallorum, obligari non possunt. De extreme ebrio dictum in *Cap. 1. §. 37.*

§. 7. Qva ætate vero ex consensu suo qvis obligationem contrahat, Jure Naturali definitum haud est, sed ex singulorum individuorum indole, & judicii maturitate cognoscendum. Leges vero Civiles certum hic terminum posuere, ut ante pubertatem, qvam in masculis decimo qvarto, in fœminis vero duodecimo anno definiere, nemo obligetur. Puberibus vero, si velint, suo arbitrio res agere, Jure Rom. concessum est; qvi tamen moribus Germa-

Germaniæ usqve ad majorennitatem etiam inviti curatores accipiunt. Vid. *pr. l. d. Auctor. tut. §. ult. l. Qvib. alien. licet vel non. l. 2. §. ult. ff. Qvi pet. §. 2. l. d. Curat. Ord. Pol. d. A. 1577. tit. 32.*

§. 8. Consensus ad obligationem necessarius impeditur vel maxime per errorem; unde hic circa negotii essentialia, h. e. ea, qvæ principaliter qvis in contrahendo spectavit, commissus negotium ipso jure nullum reddit, qvod secus est in accidentalibus, ubi nonnisi ad id, qvod interest, vel, pro negotii indole, ad pretium diminuendum agi potest. Qvæ regula Jure qvoqve Romano confirmata est. *L. 57. ff. d. O. & A. l. 15. ff. d. Jurisd. l. 21. §. 2. ff. d. Act. empt. l. 45. ff. d. Contrah. empt.*

§. 9. De dolo ita tenendum: Qvoties dolus ab eo, qvicum paciscimur, admissus est, & conventioni causam dedit, toties negotium in favorem decepti invalidum est. Dico in *favorem decepti.* Nam in hujus arbitrio est, utrum negotium nullum dicere, an vero ex conventione ad interesse agere velit. Qvodsi vero dolus fuerit incidens circa ipsam rem, ejusve qvalitatem, negotium subsistit, sed agitur ad id, qvod interest, deceptum qvem non fuisse.

fuisse. Cum qvo Romanæ qvoqve Leges faciunt, nisi qvod discrimen mere Civile adjiciant, utrum negotium sit bonæ fidei, an stricti juris, ita ut hoc nunqvam ipso jure propter dolum pro invalido declarent. *L.7.ff. d.dol.mal. l.16.§.1.ff. d. Minor. l.36.ff. d. V.O. l.13.§.4.seq.ff. d. Act. emt.* Tertii vero dolus, cujus particeps non est, qvicum pactum inimus, validitati negotii nihil detrahit, contra decipientem tamen actio ad interesse omni jure conceditur.

§.10. Promissa pactaqve per metum ab altero extorta regulariter invalida sunt. Deficit enim hic & jus obligandi, & verus consensus, citra qvem tamen, ut vidimus, obligatio non contrahitur. Jus tamen Civile tantisper, donec de metu illato, qvi in civitate non præsumitur, constet, actionem ex negotio concedit; nisi qvod nonnulla negotia, veluti matrimonium, *c. 15. X. d. sponsal.* & dotis promissionem, *l.21. §.3.ff. Qvod met. caus. gest.* propter metum ipso jure invalida pronunciet.

§. 11. Cum vero consensus reciprocus esse debeat, apparet, promissionem ante acceptationem partis alterius non obligare. Eo tamen casu, qvo rogatio promissionem ipsi respon-

reſpondentem præceſſit, acceptatio in anteceſſum facta eſſe cenſetur. Qvod Jura qvoqve Civilia confirmant. Vid. *l. 55. ff. d. O. & A. l. 10. ff. d. donat.* add. Berlich. *Dec. 37.* Neqve obſtat *l. 3. ff. d. Pollicit.* cujus ſenſum perſpicue propoſuit Pufendorf. *d. l. N. & G. L. III. C. VI. §. 15.*

§. 12. Materia promiſſorum pactorumqve ſunt res poſſibiles. Si qvis tamen præſtandi vires ſua ſibi culpa ademerit, ab obligatione immunis haud eſt. Qva ratione temperanda *Hobbeſii de Cive C. 2. §. 14.* ſententia, cum pacta non ad rem ipſam, ſed ad ſummum duntaxat conatum obligare exiſtimat.

§. 13. Præterea reqviritur, ut circa res licitas pacta promiſſaqve verſentur; Unde de re turpi inita ipſo jure invalida ſunt. Qvod tamen præſtitum eſt ex ejusmodi pacto, repeti haud poteſt. Sibi enim jacturam hanc imputet, qvi dedit, & tale pactum ultro iniit. Jus tamen Rom. eo caſu, qvo ſolius accipientis tupitudo ſubeſt, condictioni ob turpem cauſam locum relinqvit. *l. 2. ff. d. Condict. ob turp. vel inj. cauſ. add. c. l. 2. §. 1.* Et qvoties dati repetitio parti ademta eſt, fieri eandem a Magiſtratu

ſtratu poſſe, ambigendum haud eſt. *arg. l. 9. ff. d. Jur. Fiſc. & l. 134. §. 1. ff. d. R. I.*

§. 14. Qvi factum alienum promiſit, ultra conatum nihil debet, niſi fortaſſe in eum eventum, ſi tertius non præſtiterit, certi qvid ſe daturum promiſerit. Qvo pertinent, qvæ ad §. *3. l. d. Inutil. Stipul.* JCti Rom. tradunt.

§. 15. Jus vero ſemel alicui per pactum qvæſitum non poteſt ipſi citra ejus conſenſum adimi, & poſteriore pacto in alium transferri. Qvod ni ita eſſet, omnium facile pactorum validitas ſubverti poſſet. Ubi vero poſterius pactum qvalificatum fuerit, utputa cum rei traditione conjunctum, illud præferri par eſt, neqve ex priori pacto ad aliud, qvam ad intereſſe conſeqvendum, agi poteſt. Unde ſi duobus fuerit res vendita, poſteriori vero emptori ſimul tradita, Leges qvoqve Civiles poſterius negotium confirmant. Vid. *l. 20. C. d. Pact.*

§. 16 Prærerea pacta & promiſſiones fiunt vel *pure*, vel *ſub conditione*, vel *in diem*. Intet qvæ illud diſcriminis intercedit, qvod primo caſu ſtatim & oriatur obligatio, & peti qveat, qvod promiſſum; Conditio vero & obligationem & exigendi facultatem in futurum aliqvem eventum ſuſpendat; dies autem non

non qvidem differat ipſam obligationem, ſed exactio tamen prius, qvam ille venerit, fieri non poſſit.

§. 17. Neqve vero conditio eſt, qvæ ad præſens vel præteritum ſe tempus refert; qvicqvid diſſentiat *Pufendorf. d. l. N. & G. L. III. C. VIII. §. 3.* cujus ratio ibi adducta, qvod hoc caſu non exiſtentia actus præſentis vel præteriti, ſed probatio alteri facienda conditionem inferat, rem haud qvicqvam conficit. Neqve enim propterea ſuſpenditur obligatio, qvæ tamen conditionis proprie ſic dictæ indoles eſt, qvamvis tantiſper, donec de exiſtentia actus conſtet, peti non poſſit. Add. *§. 10. l. d. V. O.*

§. 18. Diſtingvuntur conditiones in poſſibiles, & impoſſibiles. Illarum tria ſunt genera. Aliæ enim ſunt poteſtativæ, aliæ caſuales, aliæ deniqve mixtæ. Qvales recte promiſſis, pactisqve adjiciuntur, eorumqve virtutem ſuſpendunt; modo conditio in arbitrium promittentis non conferatur; qvia ſic perpetuo eludi poteſt. Add. *l. 8. ff. d. O. & A. l. 17. l. 108. §. 1. ff. d. V. O.* Qvemadmodum etiam pro adimpleta habetur conditio, cujus impletionem alter intervertit. Sic enim pe-

nes hunc omnis culpa resident, atqve adeo nullam conqverendi causam habet. Add. *l. 50. ff. d. Contrab. empt.*

§. 19. Impossibilis conditio, sive physice, sive moraliter talis, negotio adjecta illud plane invalidum reddit; cum priori casu partes non serio aliqvid agere, sed jocari voluisse videantur; posteriori vero lex impedimento sit, neqve ad illicita prohibitaqve qvisqvam se valide obliget. Et in materia qvidem conventionum Jus Naturale Civiles leges presse seqvuntur, vid. *l. 31. ff. d. O. & A.* ultimas voluntates autem sustinent, & impossibiles conditiones iisdem adjectas pro non adscriptis habent. *L. 14. ff. d. Cond. Inst.* Qvod ex peculiari ratione introductum; qvia nempe ultimæ voluntates, altera parte absente, condi solent, atqve adeo ei, cui sub tali conditione aliqvid relictum est, absurda ejusmodi adjectio nullo modo imputari potest. Conf. *Cap. II. §. 16.*

§. 20. Neqve vero interest, utrum ipse qvis, an per alium contrahat; dummodo alter sciat, hoc ipsum voluntatis suæ interprete uti. Unde obligatio in mandante oritur, eidemqve jus adversus contrahentem agendi, ut conventioni satisfaciat, acqviritur. Qvo fun-

fundamento generali ea nituntur, qvæ de actione exercitoria, institoria, & qvod jussu, in Legibus Romanis habentur.

Caput Decimum Tertium.

DE OFFICIO SERMOCINANTIUM.

§. I.

EX sermone duplex obligatio oritur; una ad usum vocabulorum cujusqve lingvæ inpositioni suæ convenientem, altera vero ad sermonis cum animo & cogitationibus consensum pertinet. Illa nonnisi ex pacto inter eos, qvi eadem lingva utuntur, sive expresse, sive tacite inito, dependet. Ex qvo illud etiam consequitur, in vita humana id qvemqve censeri velle, qvod externis signis expressit; si vel maxime ab iisdem interna animi destinata diverterint; citra hoc enim si foret, omnia facile negotia, & obligationes eludi possent. Frustra ergo qvis in foro a negotio gesto consensum, qvem tamen verba præ se ferebant, abfuisse negat.

§. 2. Altera vero obligatio de cogitatis alteri per congrua signa manifestandis,

ex triplici fonte, nempe vel ex peculiari pacto, vel ex communi præcepto Legis Naturalis, vel negotii, qvod geritur, indole descendit. Extra triplicem hunc casum silentium, vel dissimulatio non modo a vitio longe abest, sed etiam aliqvando in virtutis loco recte reponitur.

§. 3. Nec vero interest, jus, qvod qvis habet, ad mentem alterius cognoscendam, aperto mendacio, an ambiguo sermone violetur; Utroqve enim casu sensa animi occultantur. Qvod si tamen in recepta & populari, significatione vocabulum usurpatum fuerit, nihil poterit loqventi imputari, si alter alienum ex eo sensum conceperit.

§. 4. Erga hostem falsis rumoribus fabulisqve uti licere, in aprico est, cum in bello regulariter in infinitum nocere liceat. Qvod tamen ad pacta definiendo aut saltem suspendendo bello cum hoste inita extendendum haud est. Qvemadmodum nec falsa crimina hosti affingere licet, de qvo pluribus vid. *Pufend. d. l. N. & G. Lib. IV. C. I. §. 19.*

§. 5. De confessione delicti qværunt Doctores, an ad eandem teneatur reus? Ubi in aprico est, qvatenus ea ad reparationem damni

damni alteri dati pertinet, declinari eam citra peccatum haud posse, sed ut pœnam ultro sibi qvis arcessat, nulla obligatio urgere videtur, cum & occultum crimen non adeo Remp. lædat, & pœna proprie nonnisi invito infligatur. Aliud tamen de testibus dicendum, qvi vigore imperii civilis, de alieno crimine, etiam injurati, confiteri tenentur.

§. 6. Nec vero patronus causæ civilis ad subvertendam, vel saltem differendam solutionem falsis allegationibus recte utitur, ob damnum, qvod hac ratione alteri, eiqve innocenti parti subnascitur. In criminalibus idem patrono licet, qvod reo, qvoties ab hoc privatim adscitus est; Publice enim ad causas reorum orandas constitutus satis habere debet, si accusatoris argumenta simpliciter diluerit. Add. *Pufend. c. l.* §. 21.

§. 7. Sanctissima vero obligationis circa sermonem species est *jusjurandum*, qvod est *religiosa alicujus rei assertio vel promissio, Deo verborum teste, perfidiæqve vindice invocato.* Concipienda vero juramenti formula secundum persvasionem, qvam juraturus de Deo habet; Neqve enim aliter finis ejus, qvi est terror conscientiæ, obtineri videtur posse.

Qvare perjurus etiam is est, qvi per falsum Deum, qvem ipse tamen pro vero colit, præstitum jusjurandum violat; cum is sub falso speciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuerit. Unde tale jusjurandum in foro qvoqve Civili effectum habet. vid. *L. 5. §. 1. ff. d. Jurejur.* add. *Grot. d. l. B. & P. L. II. C. 13. §. 12.*

§. 8. Valet autem juramentum secundum mentem deferentis, & indolem verborum, qvamvis ab his jurantis fortasse cogitationes diverterint. Qvod ni ita esset, omnis juramentorum effectus facili negotio eludi posset. Secus est, cum revera in jurante voluntas deest, veluti cum vel error, vel dolus adversarii jurijurando causam dedit; uterqve enim obligationem in jurante excludit. Nec vero dolus ejusmodi vel error præsumitur, qvem proinde in judicio allegans probare debet. Add. *c. 28. X. d. jurej. l. 15. ff. d. Jurisd.*

§. 9. Nec magis obligatorium est juramentum metu extortum; cum enim is negotium per se invalidum reddat, ut supra dictum, liqvet, per jusjurandum, tanqvam vinculum nonnisi accessorium, convalescere illud haud posse.

§. 10. In-

§. 10. Interpretatio juramenti ex indole negotii, cui accedit, facienda est; atqve adeo in odiosis qvidem stricte, in illis vero, qvæ favorem complectuntur, late eandem fieri oportet. Add. *c. 15. d. R. I. in 6. c. 25.* X. *d. Jurej.* Ex qvo etiam illud consequitur, ex jurejurando nullum novum oriri effectum; sed plane illud actus, cui adjicitur, naturam seqvi, atqve adeo nec tacitas conditiones aut limitationes, qvæ negotio insunt, eodem excludi. Neqve aliud Jure Rom. constitutum; unde ea, qvæ de juramento confirmatorio Doctores tradunt, omni legum fundamento destituuntur. Qvocirca nec illud jusjurandum obligat, cujus adimpletio cum tertii alicujus, superioris præsertim, præjudicio conjuncta est, vel jus ex priori promissione qvæsitum intervertit, aut alias de re illicita præstatur. Vid. *C. 18. & 19.* X. *d. Jurej.*

§. 11. Cæterum si promissio jurata per modum pacti sit facta, ejus vis etiam ad juranris heredes porrigitur; qvi tamen, si eandem non adimpleverint, non perjurii, qvia ipsi non juraverunt, sed simplicis perfidiæ rei erunt. Add. *Textor Syn. J. G. c. 27. n. 83.*

§. 12. Dividuntur juramenta ex fine,

propter qvem adhibentur, in promissoria, qvæ circa publicas, vel privatas causas præstantur, & assertoria, qvæ viam ad decidendas controversias vel directe, vel indirecte sternunt. Illius generis est juramentum a parte, sive in judicio, sive extra judicium delatum. Qvale jusjurandum speciem transactionis habet, & qvoad privatum interesse perjurii qvæstioni locum non relinqvit. Vid. *l. 1. C. d. R. C.* & *P. 1. C. El. 15. j. tamen l. ult. C. d. R. C.* & *Svvend. ad Fib. Proc. p. 1338. n. 628.* Indirecte vero ad lites terminandas faciunt juramentum testium, calumniæ, perhorrescentiæ, aliaqve plura. Aliqvando etiam Judex jusjurandum defert, qvod vel purgatorium, vel suppletorium esse solet.

§. 13. Vis jurisjurandi expirat, cum vel remittitur ab eo, in cujus favorem est præstitum, vel causa ejus finalis cessat, vel deniqve superior ejus relaxationem fecit. Qvæ absolvendi v. gr. ab Urpheda facultas in Imperio nostro penes Cameram, in singulis vero territoriis penes Dominos eorundem est. Vid. *O. C. P. II. d. 24.* add. *P. 2. C. El. 36.*

CAPUT

CAPUT DECIMUM QVARTUM.

DE ACQVIRENDO RERUM DOMINIO.

§. I.

CUm dominium atqve proprietas rerum nonnisi qvalitas moralis sit, qvæ ipsam earum substantiam haud afficit, inde constat, originem ejus non a natura, sed instituto repetendam esse.

§. 2. Est autem Dominium in generali significatu nihil aliud, qvam *jus, qvo alicujus rei velut substantia ita ad aliqvem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad alium.* Specialius vero, atqve ad mentem Legum Rom. acceptum est *jus, qvo res corporalis & singularis alicujus propria est. L. 23. & 56. ff. d. R.V.*

§. 3. Cum vero de re sua disponendi facultas vel omnino libera sit, vel certo modo restricta; inde dominium dividi solet in *plenum*, & *minus plenum* seu diminutum. Qvamvis plena qvoqve rei proprietas rursus vel absolute talis sit, qvæ nempe cum *eminente* dominio conjuncta, vel respective seu secundum qvid, ut loqvi solent, talis, & *vulgare* dominium

appellatur. Dominium vero *diminutum* seu restrictum vel adjunctum sibi jus, re utendi fruendi habet, & dicitur *utile*, qvale vasallo, emphytevtæ, & superficiario competit, vel citra hanc utendi facultatem superiorem tantum proprietatis partem in ea complectitur, & vocatur dominium *directum*; qvod dominus feudi, emphytevseos, atqve superficiei habet.

§. 4. Origo dominii, prout cæterorum jus excludit, non a concessione Divina, qvod aliqvi volunt, immediate dependet, qvippe qvæ nihil aliud innuit, qvam, volente utiqve Deo, fieri, ut res dividantur, & cuiqve sua portio assignetur; atqve adeo ad conventionem inter homines sive expresse, sive tacite initam referenda est. Ante vero, qvam ejusmodi pactum fieret, omnes res *communes*, scil. negative, seu in medio expositæ fuisse intelliguntur. Qvam communionem primævam qvi oppugnant, indolem dominii non satis perspectam habere videntur.

§. 5. Prima autem circa res conventio hominum intelligitur fuisse, ut ipsa qvidem corpora communia manerent, sed tamen, qvamdiu eadem ad usus suos aliqvis applicuisset,

set, ab aliis eripi non deberent. Neqve enim res usui hominibus fuissent, nisi saltem fructus earum secure apprehendere licuisset. Add. *l. 1. §. 1. ff. d. adqvir. poss.* Cæterum, multiplicato genere humano, communio ista innumeris litigiis ansam erat datura; qvo circa visum est, primo qvidem rerum mobilium, & successive etiam immobilium, earum præsertim, qvæ ad usum qvotidianum pertinerent, dominia distingvi. Ex qvo consequitur, hanc dominiorum distinctionem proprie Juris Naturalis haud esse, sed inter res eodem indifferentes reponendam.

§. 6. Nec vero omnes res in proprietatem iverunt; verum aliqvæ mansere communes, sive qvod earum natura dominium veluti respueret, sive qvod ratio vitæ civilis, ut in primæva communione persisterent, postularet. Qvo aer, aqva profluens, lumen calorqve solis, & similia referuntur.

§. 7. De vasto oceano acriter disceptatum est, an proprietas in eum cadat? Nos sane neqve magnitudinem ejus, neqve aliud qvicqvam obstare arbitramur, qvo minus proprietatem per sui naturam recipere possit; Enimvero cum ejus custodia uni populo moraliter sit im-

sit impossibilis, neqve lex humanitatis, & ratio introductæ rerum proprietatis dominium ejus a qvoqvam sibi soli asseri patiatur, liqvet, occupationem ejus metuendam haud esse.

§. 8. Sed jam de *modis*, qvibus dominium acqviritur. Sunt illi vel *originarii*, qvi rei ante in nullius dominio existentis proprietatem transferunt; vel *derivativi*, qvibus dominium rei ab uno in alterum transit. Illius generis sunt *occupatio*, per qvam dominium in ipsum corpus, & *accessio*, qva incrementum rei nostræ acqviritur.

§. 9. Occupatio duum generum est; vel enim circa res immobiles, vel mobiles versatur. Illarum acqvisitio fit vel per singulos, qvi nempe earundem possessionem probabiliter tueri possunt, vel per universitatem, ubi expedit, ad evitandas contentiones, suam cuiqve portionem publice assignari, qvo casu ea, qvæ post divisionem supersunt, omnium collective, seu totius universitatis esse censentur.

§. 10. Res mobiles qvoqve regulariter cujusqve occupantis fiunt. Cujus rei fundamentum ex primæva rerum communione arcessendum est; Cum enim ab ea per dominiorum

rum distinctionem recederetur, ea, qvæ divisa non sunt, pristinam qvalitatem retinuisse, atqve adeo communes in sensu negativo mansisse intelliguntur; unde consequitur, ea a primo occupante adqviri.

§. 11. Cum vero res mobiles; sive animatæ, sive inanimatæ, certam sedem habeant, ubi consistant, aut morentur, inde manifestum est, dominum soli de jure easdem apprehendendi disponere, illudqve suo arbitrio restringere, & limitare posse. Ex qvo fundamento repetenda est facultas venationem, aucupium, & piscaturam exercendi privatis adēmta, & Principibus asserta. Neqve enim Principes sanciendo leges, per qvas earum rerum apprehensionem privatis interdicerent, dominium sibi in eas acqvisiverunt, &, qvæ vulgata loqvendi ratio est, occupando privatos prævenerunt, sed jus tantum easdem occupando suas faciendi sibi vindicarunt; neqve enim v. gr. ferarum in naturali libertate vagantium dominium citra corporalem apprehensionem acqviri potest. Qvamvis, ut recte judicat *Pufendorf. d. l. N. & G. L. IV. cap. VI. §. 8.* facultas illa Principibus asserta communem hunc cum dominio effectum habeat, ut, postqvam feræ sunt appre-

apprehensæ, ab illegitimo captore vindicari possint.

§. 12. Unde qvi contra prohibitionem legis publicæ feram cepit, eam non suam, qvod multis placet, sed Principis facit; qvi ultronea illius opera in capiendo usus fuisse censetur. Acqvisitio enim dominii effectus moralis est, ab actu physico corporali, nempe apprehensione, plane diversus, neqve illius cum hoc conexionem ulla necessitas urget. Plane si privatus fundum alterius, eo prohibente, ingressus feram apprehenderit, ejus proprietatem sibi acqvirit; cum ejusmodi prohibitio privato facta vim legis non habeat; & qvocunqve in loco, sive proprio, sive alieno, tale animal vagetur, res nullius sit, adeoqve occupanti cedat. Neqve aliud Lege Civili reperitur dispositum, qvæ hoc casu Domino prohibenti adversus alterum actionem injuriarum concedit. vid. §. *12. l. d. R. D. j. l. 13. §. ult. ff. d. Injur.*

§. 13. Cum vero apprehensio, ut diximus, in acqvirendo rerum, qvæ nullius sunt, dominio reqviratur, apparet, solum visum, aut occupandi conatum haud sufficere; cum multa, qvæ capturam impediant, intervenire pos-

re possint. Add. §. *13. l. d. R. D. l. 5. & 55. ff. d. A. R. D.*

§. 14. Cæterum pœnas, qvibus illicitæ venationes coercendæ sint, legum Civilium est determinare; cumqve delicta ex legislatoris auctoritate violata, & publica utilitate æstimanda sint, ad ultimum eas supplicium extendi posse, ambigendum non est. Add. *l. 6. §. ult. ff. d. pœn. l. 12. §. 1. ff. Qvi & a qvib. manum. O. C. a. 160.* Qvamvis tantum rigorem non facile adhiberi oporteat. Vid. *Const. El. Nov. 7.*

§. 15. Acqviruntur per occupationem etiam illæ res, qvarum proprietatem pristinus dominus per derelictionem dimisit. Qvocirca duo, animum nempe, & ipsum derelictionis factum, concurrere oportet; & præterea ab eo, qvi facultatem derelinqvendi habet, eandem fieri supponitur. Add. §. *47. I. d. R. D. t. t ff. Pro derelict.*

§. 16. Cum vero hæc voluntas deficiat in eo, qvi, orta tempestate, navis levandæ causa merces ejicit, apparet, earum proprietatem hoc facto non amitti, sed eas fluctibns forte expulsas, & ab alioinventas vero domino restituendas esse. Neqve circa has res aliud Jure Rom. constitutum est, adeo, ut in furti crimen

men incidat, qvi animo lucrandi easdem abstulit. §. 48. l. d. R. D. l. 1. C. d. Naufrag. neqve fisco easdem, si de domino constet, deferri oporteat. Add. Anth. Naufragia C. d. Furt.

§. 17. Pari ratione res casu amissæ dominornm permanent, neqve ab inventoribus sibi vindicari qveunt, cum & hic animus derelinqvendi eas desit; ubi enim hic supervenit, & res amissæ pro derelictis habentur, incipiunt nullius esse, adeoqve occupanti cedunt. Add. §. ult. I. d. R. D. Cnm vero inventori, plerumqve de domino rei inventæ haud constet, per libellum seu publicam proclamationem is inqvirendus est, qvi si non apparuerit, res inventori addici, vel fisco in statu Civili asseri, vel certe pauperibus distribui potest; neqve enim hic præceptum aliqvod Juris N. datur. Jure Saxon. Fiscus sibi duas partes, tertia inventori rclicta, vindicat. Vid. Landr. L. 2. art. 37. Carpz. P. 2. C. 3. d. 15. & P. 3. C. 31. d. 18. Qvi vero animo lucrandi ejusmodi rem arripit, atqve occultat, furti crimine se obstringit. l. 41. §. 11. ff. d. furt. l. ult. C. Unde vi; qvamvis, ubi de pœna criminali infligenda agitur, propter deficientem possessionem non nisi extraordinaria locum inveniat. Vid.

Vid. *Brunnem. ad L. 43. ff. d. furt. n. 8. Carpz. Pr. Crim. Q. 86. n. 9. seqq.*

§. 18. Inter res, qvæ dominio vacuæ adeoqve nullius sunt, censetur etiam thesaurus, qvi est vetus qvædam depositio pecuniæ, cujus memoria non extat. Unde fluit, æqvitati qvam maxime congruere, ut, cum aliud Jure positivo constitutum haud est, thesaurus inventori cedat. Jure Rom. distingvitur, utrum inventus sit in solo proprio, an alieno. Illo casu, qvando magicæ artes non sunt adhibitæ, inventori cedit, qvamvis nonnisi dominium revocabile *l. 66. ff. d. R. V.* jung. tamen *l. 7. §. 12. ff. sol. matrim.* aut utile in eo loco habeat. Add. *Rosenth. d. Feud. c. 5. Concl. 93. Schultz. t. d. R. D. l. aa.* Hoc casu vel inventus est data opera, & totus domino soli cedit, *l. un. C. d. thesaur. Brunnem. ad d. l. n. 3.* vel casu fortuito, & inventor sibi dimidiam, altera domino relicta, vindicat. *d. l. un. §. 39. l. d. R. D.* Add. *l. 3. §. ult. ff. d. Jur. Fisc. B. Ziegler. d. Jur. Maj. l. 2. c. 20. th. 27.*

§. 19. Notissima qvoqve occupationis species est ea, qvæ *bellica* vocatur, cujus fundamentum inde repetendum est, qvod in ordine ad hostem omnia jura pacifica, adeoqve

etiam effectus dominii cessant, ut res hostiles hactenus dominum non habere intelligantur, ut eas invadere citra peccatum liceat. Neqve hoc in rebus solum, sed personis qvoqve hostium procedit; qvod in hac occupationis specie singulare est, cum alias ab ejus objecto homines eximantur. Cæterum ea, qvæ in bello actu publico ab hostibus capiuntur, sive mobilia, sive immobilia sint, ad eum, cujus auspicio bellum geritur, pertinent; qvi militibus mercede conductis instrumentorum loco uti censetur; & nonnisi voluntate ejus præda militibus relinqvi solet; qvæ vero libera & non imperata excursione acqviruntur, capientium fiunt. Add. §. *17. l. d. R. D. l. 5. §. ult. ff. d. A. R. D. Grot. d. l. B. & P. L. 3. c. 6. n. 12.*

§. 20. Hactenus de Occupatione, primo acqvirendi modo originario dictum, sequitur jam, ut de *Accessione* breviter videamus; circa qvam generalis notanda regula: *Qvod accessorium sequatur principale suum*, adeoqve ad hujus dominum pertineat. Cujus acqvisitionis fundamentum ex indole dominii, ejusqve primitus introducti fine dependet.

§. 21. Accedit vero rei incrementum vel sola naturæ operatione, & dici solet accessio *na-*

sio *naturalis*, vel per culturam atqve industriam humanam, qvæ *artificialis* vocatur. De illa priori loco.

§. 22. *Naturalis* accessio contingit primo per fœtum ex animalibus editum, qvi ad ejus dominum & alimentorum, qvæ suppeditat, & aliarum, qvas perfert, molestiarum intuitu, & qvia deniqve fœtus pars viscerum maternorum est, pertinet, neqve animalis imprægnantis habenda ratio, nisi super mercede aliqva vel expresse, vel tacite convenerit. §. *19. l. d. R. D. l. 5. §. 2. ff. d. R. V. Hub. in. Præl. ad π. t. d. A. R. D. pos. 9. Pufendorf. L. IV. C. 7. §. 4. Ziegl. ad Grot. L. II. C. 8. §. 18.*

§. 23. Qvibus ea, qvæ per alluvionem agris adjiciuntur, cedere debeant, fisco, an vero privatis eorundem dominis, Jus N. non definit; qvamvis posterius æqvitati maxime conveniat, ob incommoda, qvæ propter vicina flumina perferunt. Qvam sententiam Jus qvoqve Rom. amplexum est. Vid. §. *20. l. d. R. D. l. 9. §. 4. ff. d. Usufr.* Qvod nempe de fundo arcifinio intelligendum; in agris enim, qvibus limites positi, alluvionum jura haud obtinent. *l. 12. & 16. ff. d. A. R. D.*

§. 24. Nec magis eo casu, qvo pars vicini fundi impetu fluminis detracta cum alio prædio coaluit, Jus N. determinat, utrum prior dominus proprietate exidere debeat, nec ne; Leges vero civiles negligentiam ejus amissione coercendam censuere; unde post coalitionem vindicandi facultatem adimunt. §. *21. l. d. R. D. l. 9.* §. *2. ff. d. damn. inf.*

§. 25. Idem in insulis qvoqve in flumine enatis obtinet; de qvibus disponere Juris positivi est. Leges Rom. hic rursus privatis favent, iisdemqve pro modo latitudinis prædiorum, qvæ prope ripam possident, insulæ proprietatem addicunt. *§. 22. l. eod.* qvæ dispositio insignem habet æqvitatis speciem, qvod sensim ex vicinis agris decerpta ea collectaqve intelligatur. Add. *l. 7. §. 3. ff. d. A. R. D.* insula vero in mari, qvatenus occupatum non est, oborta sine dubio occupanti, alias vero populo, cujus mare est, cedit. *d.* §. *22.* Add. *Thomas. ad Strauch. Diss. 6. ad th. 43.*

§. 26. Similiter alveum a flumine derelictum & fisco suo asserere Princeps, & privatis ab utraqve ejus parte prædia possidentibus relinqvere potest; cum & hic præceptum Juris Naturalis deficiat. Et posterius qvidem Jure Rom

Rom. constitutum est. §. *23. l. d. R. D.* idemqve in Saxonia ita servatur. *Landr. l. 2. a. 56. Carpz. P. 3. C. 31. d. 14.* Nonnulla tamen Germaniæ loca fisco hoc casu favent. vid. *Ziegl. d. Jur. Maj. L. 2. c. 15. th. 25.* Qvodsi vero flumen totum alicujus agrum occupaverit, sed brevi rursus decesserit, pristino Domino eundem restitui par est. vid. *l. 7. §. 5. ff. d. A. R. D.* Qvod multo magis in simplici inundatione, per qvam ne qvidem forma agri immutatur, obtinet. Add. §. *24. l. d. R. D. l. 1. §. 5. ff. d. Flumin.*

§. 27. Seqvitur accessio *artificialis*, qvæ in plures species dispescitur; inter qvas primo loco reponimus *specificationem*; sed magis ex mente Legum positivarum, qvam præcepto Juris Naturalis. Qvando enim alius est materia, & alius forma, unde corpus conflatum, cum illæ sint distinctæ partes, non apparet, cur una alteram ad se trahere debeat, sed naturaliter res communis erit pro rata ejus, qvanti unumqvodqve est; uti post *Grotium d. I. B. & P. L. II. C. 8. §. 19.* ostendit *Pufendorf. L. IV. c. 7. §. 10.* Enimvero cum res sæpenumero neqve communionem, neqve divisionem admittat, visum est legislatori humano ad tollendam omnem difficultatem, aliam in uni-

versum regulam constructuere, ut potior materia debiliorem formam, & vicissim potior forma infirmiorem ad se materiam trahat; in eoqve dijudicando, utrum ad priorem rudem materiam species reduci qveat, necne, attendi debeat. Vid. §. 25. I. d. R. D. ita tamen, ut utroqve casu, sive qvis dominium, sive operam citra suam culpam amiserit, per exceptionem doli, vel institutam actionem in factum sibi consulere possit. l. 23. §. 4. seq. ff. d. R. V. Nam qvi mala fide & ultro operam suam in aliena materia consumpsit, eo nomine nihil expetere potest, sed eo casu, qvo materiam forma superat, actione ad exhibendum, & propter dolum utili rei vindicatione, nec non actione furti, & condictione furtiva recte convenitur. l. 9. §. 3. ff. ad Exhib. j. l. 131. ff. d. R. l. l. 52. §. 14. ff. d. Furt.

§. 28. Nec vero aliud ratio Naturalis circa purpuram alieno vestimento intextam dictitat, qvam, qvod modo de specificatione diximus; nisi qvod, cum neqve communio, neqve divisio hic facile locum inveniat, utri res, refuso alteri pretio, adjudicanda sit, ex circumstantiis, utputa indigentia Domini & rei prævalentia, æstimare jubeat. Qvod arbitrium

bitrium ita laxum relinqvere noluerunt Leges Romanæ, adeoqve indistincte purpuram, licet pretiosiorem, vestimento tanqvam accessorium cedere jusserunt. §. *20. l. d. R. D. l. 19.* §. *13. ff. d. aur. & arg. leg. Eckolt ad ff. t. d. A.* R. *D.* §. *35.*

§. 29. Plane confusio species accessionis haud est, sed per eam communio inducitur, sive casu, sive unius, vel utriusqve voluntate confusio facta sit. Qvod Jure qvoqve Rom. confirmatum est per §. *27. l. d.* R. *D.* Qvæ communio tamen non obtinebit in casu, qvo corpora confusa v. gr. metalla vi aqvæ chrysulcæ rursus citra detrimentum separari qveunt; tum enim suum uterqve vindicabit. Vid. *l. 5.* §. *1. ff. d.* R. *V.. l. 12.* §. *1. ff. d. A.* R. *D.*

§. 30. Qvodsi ex aliena materia in suo qvis solo ædificaverit, Domino materiæ, si ea deterior non sit reddita, ejusqve interfit, hanc potius, qvam pretium habere, non videtur facultas eandem vindicandi denegari posse; Cum illicito alterius facto re sua nemo defraudari debeat. Enimvero ne diruendo ædificia urbis conspectus deformaretur, Lege duodecim Tabb. tigna eximi, & materiam a pristino Domino vindicari prohibitum; Cui

tamen alia via Jus Rom. consuluit, data actione *de tigno juncto* in duplum, idqve mixtum, si adversus b. f. vel mere pœnale, si contra m. f. ædificantem instituteretur. Vid. §. *29. l. d.* R. *D. l. 23.* §. *6. ff. d.* R. *V. l. 1.* §. *ult. & l. 2. ff. d. tign. junct.* Qvæ actio ne qvidem hodie abrogata est. *Hopp. Comment. ad Inst. d.* §. *Us. Mod.* utut, qvatenus pœnalis est, ab usu fori recessisse videatur. *Struv. Jpr. Rom. G. F. L. II. T. I. §. 48.*

§. 31. Ubi ex sua materia in alieno solo ignorans, adeoqve bona fide qvis ædificavit, idem naturaliter juris est, ut tollere materiam possit; Jure Rom. vero ex ratione modo adducta, solo rursus cedit, qvod eidem inædificatum est; ita tamen ut Dominus soli, donec pretium materiæ, & mercedes fabrorum solvat, per exceptionem repelli qveat; qvæ exceptio m. f. ædificanti non datur, qvod damnum is sua culpa sentit. Vid. §. *30. l. d. R. D.* Imo ne qvidem is, qvi bona fide materiam suam in alieno solo consumpsit, adversus Dominum in possessione ædificii constitutum eo jure actionem habet, per qvam pretium materiæ, & fabriles mercedes repetat. Vid. *l. 48. & 59. ff. d. R. V. l. 33. & 51. ff. d. Cond. Indeb. Struv. Jpr. Rom. G. F. L. II. t. 1.* §. *49.* nisi qvod Doctores hoc

casu

casu actionem in factum *a. l. 6. §. 5. j. l. 52. ff. d. R. V.* aut aliqvando negotiorum gestorum, *a. l. 6. §. 3. & l. ult. ff. d. Neg. gest.* & propter possessionem indebite, nondum refusis impensis, traditam condictionem indebiti applicari posse velint *a. l. 40. §. 1. ff. d. Cond. Indeb. Clud. d. Cond. Indeb. c. 2. n. 66.*

§. 32. Circa scripturam nullum qvidem præceptum Naturale datur, qvo ea vel chartæ membranæve, vel hæc illi cedere jubetur; sed rationi tamen, & æqvitati valde congruit, ut scriptura ad se chartam trahere debeat; Nam & regulariter illa pluris, qvam hæc est, & charta ipso usu qvodammodo perire intelligitur, neqve videtur ullo modo Domini interesse, eandem, an aliam æqve bonam recipiat. Jure vero Rom. aliud constitutum, & scriptura, tanqvam accessorium, indistincte jubetur chartæ, per qvam sustineatur, cedere. §. *33. l. d. R. D. j.* tamen *l. 3. §. 14. ff. ad Exhib.* Mores certe Germaniæ ab hoc rigore recedere, & omne hoc negotium æqvo judicis arbitrio relinqvere videas. vid. *Schilt. ad d. §. Dn. de Fuchs Paraphras. Inst. d. §.*

§. 33. Circa picturam qvoqve lex naturalis nihil definit; ratio tamen svadet, ut, cum

alterutri res adjudicanda, illius, qvod pluris est, adeoqve regulariter qvidem picturæ, aliqvando vero etiam tabulæ, potior ratio habeatur; Sed Jure Civili non, qvid in singulis casibus prævaleat, respicitur; sed propter privilegium & dignitatem artis pictoriæ in genere tabula picturæ, qvamvis fortasse a proletario qvodam pictore confectæ, cedere jubetur. vid. *l.9. §.2 ff. d. A. R. D. §.34. l. d. R. D.* Add. *Thomas. ad Strauch. Jus Justin. Disp.6. th.49.* Neqve obstat *l.23. §.3. ff. d. R. V.* utpote qvæ de eo, qvod secundum regulam, & accessionis naturam obtinere debebat, exaudienda est.

§. 34. Ea, qvæ insita sunt aut implantata alieno solo, postqvam cum eo coaluerunt, ejusqve pars facta sunt, jure accessionis eidem naturaliter cedunt; qvicqvid dissentiat *Grot. d. l. B. & P. L. 2. c.8. §.22.* Dominus tamen soli pretium seminis, vel plantæ, & factas impensas alteri, qvoties in bona fide est, refundere debet. Neqve aliud Legibus Romanis sancitum est. Vid. *§.32. l d. R. D. l.7. §.13. ff. d. A. R. D.* Circa arborem in confinio positam nihil determinat Naturalis ratio, qvamvis eidem valde congruat ejus communio. Jus Rom. utriqve, qvatenus in ejus fundo arbor radices egit, eandem

dem addicit. §. 31. *l. d. t. l. 7. §. ult. ff. d. A. R. D.* Saxonum vero leges jus aeris tantum attendunt, & ramos in cujusqve fundum propendentes eidem tribuunt. *LandR. lib. 2. a. 52. Carpz. P. 3. C. 32. d. 25.*

§. 35. Sæpenumero etiam alicui jus ex re aliena commoditatem percipiendi qværitur; qvo emphytevsis, superficies, Feudum, bonæ fidei possessio, & servitutes referri solent. De qvibus pauca subjiciemus.

§. 36. *Emphytevsis* est jus in re immobili a Domino alicui se ad certum vectigal seu canonem in recognitionem dominii præstandum obliganti constitutum. Add. *l. 1. & 2. si ager Vectig. l. 1. C. d. Jur. Emphyt.* Transfertur autem mediante contractu emphytevticario in emphytevtam dominium utile, vi cujus omnes fructus, & commoda ex re emphytevtica precipit, eamqve, reqvisito tamen domini directi consensu, alienare potest. *l. ult. C. d. Jur. Emphyt.*

§. 37. *Jus superficiei*, qvod per venditionem, vel locationem, vel gratuitam concessionem transit, est jus ædificium in solo alterius, suo sumtu, habendi. Add. *l. 1. ff. d. superf.* Habet ergo superficiarius jus dominio simile, vi cu-

vi cujus ſuperficiem in ſolo alieno poſitam ad uſum ſuum aptare, ſervitutem ei imponere, &mediante alienatione in alium transferre poteſt. Vid. *l. 1. §. 7. & ult. eod.* Neqve hoc jus dirutis, vel combuſtis ædibus extingvi exiſtimem, uti qvidem cenſet *Pufendorf. L. IV. C. VIII. §. 4.* cum pars dominii in ſuperficiarium translata ipſum ſolum afficiat, qvod per interitum ædium non continuo perit. *Struv. Jpr. R. G. F. L. II. t. 12. §. 22.*

§. 38. *Jus Feudi* eſt jus in re aliena immobili pleniſſime utenda fruenda alicui ſub conditione mutuæ fidelitatis a Domino conſtitutum. Unde in eo ab emphytevſi differt, qvod vaſallus fidem, emphytevta vero annuum canonem præſtat, & hic jus ſuum ad heredes qvoscunqve, etiam extraneos, ille vero nonniſi ad deſcendentes, vel agnatos maſculos transmittat. Præterea pingvius jus eſt vaſalli, qvam uſufructuarii, qvod hoc perſonale eſt, illud vero ad heredes tranſit. Vid. *2. F. 23. in fin.* Unde etiam ille rem feudalem ab alio poſſeſſam vindicandi facultatem habet, *2. F. 8. Struv. S. l. F. c. 2. th. 3. a. 3.* qva contra deſtituitur uſufructuarius. Sed hoc argumentum

tum Juris Feudalis Interpretes prolixe, & ex instituto persequntur.

§. 39. Qvi rem alienam bona fide, & justo titulo possidet, illud juris habet, qvod instar veri domini omnes ex ea fructus, naturales & civiles percipiat; omnesqve cæteros, præter verum dominum, ab ejus usu arcere, & de eadem pro arbitrio disponere qveat. Nihil enim rationi naturali, & hnmanæ societatis tranqvillitati magis convenit, qvam ut is, qvi potius jus habet, omnibus illis, qvi infirmiori jure nituntur, prævaleat, & contra eosdem defendatur. Cui fundamento innititur æqvitas *publicianæ in rem actionis*, qvam leges civiles ei, qvi in conditione usucapiendi rem alienam constitutus est, suggerunt adversus ejus possessorem, & huic restitutionem cum omni causa injungunt. Vid. § *4. l. d. Action. & tit. ff. d. Publ. in rem act.* Qvamvis in foro non infreqvens sit, ut propter difficilem dominii probationem hac actione cum rei vindicatoria cumulata etiam verus dominus utatur. Sed hoc jus b. f. possessoris, ut supra monuimus, adversus verum rei dominum non valet; huic ergo supervenienti & eam vindicanti cum omnibus fructibus restituenda est. Neqve aliud

liud Jure Rom. constitui potuit. Vid. §. 35. *l. d. R. D. l.* 22. *C. d. R. V.*

§. 40. *Jus servitutis* vero est jus aliena in re constitutum, qvo libertas Domini de ea disponendi ita restringitur, ut ad alterius utilitatem aliqvid circa eandem pati, vel omittere teneatur. Sunt vero servitutes duum generum; vel *personales*, in qvibus utilitas ex re aliena immediate ipsi personæ obvenit, vel *reales*, ubi id mediante prædio, cui res ista proxime servit, contingit. Vid. *l.* 1. *l.* 15. §. 1. *ff. d. servitut.* §. 4. *l. eod.* Personales sunt usus-fructus, usus, habitatio, & operæ servorum. De qvibus sigillatim potiora addemus.

§. 41. *Ususfructus* est jus alienis rebus utendi fruendi salva earum substantia. Atqve hic est ususfructus, qvem alias Doctores *formalem* dicunt, a proprietate separatus; qvem enim in re propria habet dominus, nonnisi improprie talis est, & vulgo *causalis* audit. Constituitur usufructus vel lege, vel officio judicis, vel voluntate domini. Per legem tribuitur patri usufructus in bonis adventitiis filiifamilias, *l.* 6. *C. d. bon. qvæ. lib.* & cum eum emancipat, loco præmii in parte dimidia bono-

bonorum filii. §. 2. I. *Per qvas pers.* Qvod utrumqve tamen mere civile est, & ex nullo Juris Naturalis præcepto fluit. Qvod enim Pufend. in *Tr. d. l. N. & G. Lib. IV. C. VIII. §. 6. id rationi naturali maxime congruere,* dicit; vel in eum sensum accipi potest, id æqvum, & Lege N. prohibitum non esse; qva ratione cætera qvoqve Juris Rom. sancita de usufructu rationi congruunt; vel de præcepto aliqvo naturali loqvuntur, & tale nullum demonstrari potest; qvia necessarius cum vita sociali nexus omnino hic deficit; unde etiam ipsæ Rom. leges in multis peculii adventitii partibus usumfructum patri licite ademerunt. Judicis etiam officio in judiciis præsertim divisoriis ususfructus a proprietate separari solet. vid. *l. 16. §. 1. ff. fam. herc.* Deniqve acqviritur etiam Domini voluntate, eaqve vel tacita, ut in præscriptione contingit, *l. 8. pr. & §. 1. C. d. præscr. 30. l. 40. ann.* vel. expressa, qvæ rursus vel actu inter vivos, vel ultima voluntate declaratur. Illius exemplum circa geradæ donationem est in *P. 2. C. El. 14. §. ult. j. l. 35. §. 5. C. d. donat.*

§. 42. Cæterum versatur ususfructus nonni-

nonnisi circa eas res, qvæ per usum haud consumuntur; qvi enim v. g. de pecunia numerata, aut re alia, qvæ usu perit, constituitur, nonnisi improprie talis est, qvo casu usufructuarius de re ejusdem qvantitatis & qvalitatis, vel æstimatione ejus restituenda cavere debet. Vid. *tit. d. Usufr. ear. rer. qvæ us. cons.* Qvale genus ususfructus per leges Rom. introductum rationi naturali nihil qvicqvam repugnat. Sicuti vero usufructuarius onera ferre tenetur, ita etiam acqvirit fructus, omnes, sive naturales sint, sive civiles. Qvando vero pro perceptis habendi sint fructus, ad eum effectum, ut ad usufructuarii defuncti heredes perveniant, Jus N. haud definit. Leges autem positivæ terminum diversimode statuunt. Nam Romanæ nonnisi eos heredibus tribuunt, qvi, vivo usufructuario, a solo separati sunt, §. 37. *l. d. R. D. l.* 13. *ff. Qvib. mod. usufr. amitt.* Jus vero Saxonicum in fructibus industrialibus respicere jubet, utrum eo tempore, qvo usufructuarius moritur, maximus labor peractus v. gr. ager consitus & rastris subactus fuerit; & illo casu ejus heredibus, posteriori vero proprietario fructus attribuit.

LandR. lib.2. art.38. Richter. Dec.56. n.4. Carpz. P.1. C.5. d.21. n.4. Et in aprico est, Saxonum hanc dispositionem majori æqvitate, qvam Romanam, niti. Civiles fructus pro lapsu temporis, cui pensio respondebat, ad usufructuarium, ejusqve heredes pertinent.

§. 43. Extingvitur ususfructus, tanqvam jus personale, per mortem usufructuarii; unde si heredibus qvoqve per pactionem constitutus sit, ratio dictitat, ut, ne inutilis perpetuo sit proprietas, conventionis vis nonnisi usqve ad certum gradum heredum sese exerat; & Leges qvidem Rom. primos tantum heredes admittunt. *l.14. C. Qvib. mod. Usufr. vel us. am.* Pari modo terminum aliqvem definiri jubet Naturalis ratio eo casu, qvo ususfructus ad universitatem pertinet, qvem eædem leges centum annorum esse volunt. vid. *l.56. ff. d. Usufr.* Perit etiam ususfructus rei per totalem ejus interitum, cum objectum aliqvod facultas utendi fruendi supponat. vid. *l.53. ff. eod.* Per cessionem vero extraneo factam amitti eundem debere, qvod Doctores ex *l.15. ff. fam. herc. §.3. l. d. Usufr. j. l.66. ff. d. Jur. dot.* eruunt, nullo Juris N. præcepto cavetur; adeoqve ex numero indifferentium illo jure

est, qvamvis, ne perpetuo proprietarius ab usu rei suæ excludatur, eundem simpliciter alienari ratio prohibeat. Sed Domino usumfructum cedi posse, dubio caret; unde consolidatio oritur, & eo ipso ususfructus extingvitur. Vid. §. 3. *i. d. Usufr. l. 5. ff. si ususfr. pet.* Propter negligentiam qvoqve circa rem admissam usufructuarius jure suo recte privatur. vid. *l. 11. §. 1. ff. Qvemadm. serv. amitt.* qvemadmodum etiam jus ejus extingvitur lapsu diei, vel existentia conditionis per conventionem adjectæ, vid. *l. 12. C. d. Usufr.* aut si concedens nonnisi jus revocabile habuerit, idqve pereat. Add. *l. 31. ff. d. Pign.*

§. 44. *Usus* dicitur ius, qvo ex re aliena commodum tantum qvotidianum & necessarium qvis, salva ejus substantia, percipit. Vid. *l. 12. §. 1. ff. d. Us. & habitat.* Constituitur & finitur usus iisdem modis, qvibus ususfructus; a qvo tamen ratione facultatis utendi restrictæ ad necessaria vitæ subsidia differt. Illud vero mere Civile est, qvod usuarius locare ædes, qvarum usum habet, nisi easdem simul inhabitet, *l. 4. & 8. ff. eod.* aut cæterarum rerum usum aliis concedere non possit, præsertim cum hæc prohibitio in nonnullis casibus pro conditione

vel

vel usuarii, vid. *l.12. §.4. ff. eod.* vel rei in usum concessæ *l.22. eod.* Add. *Carpz. P.3. C.13. d.4. ubi præj.* ab ipsis Legibus Rom. temperata sit. Qvæ onera etiam ferre, usuario incumbat, ratione naturali determinari neqvit; æqvitati vero maxime convenit, ut eadem pro ratione fructuum, qvos percipit, ferat; unde etiam Leges Civiles eidem in casu, qvo usus omnes fructus consumit, refectionem necessariam, & tributorum solutionem imponunt. Vid. *l.18. ff. d.t. & l.13. ff. d.imp. in res dot.*

§. 45. *Habitationem* vocant jus, omne emolumentum ex habitatione alienarum ædium percipiendi. Vid. *§.5. I. d. Us. & hab. l.13. C. eod.* Unde luculentum est ejus ab usufructu, qvi omne commodum ex re aliena obveniens complectitur, & usu, ratione juris locandi, qvod habitatori, qvamvis ipse simul non inhabitet ædes, competit, vid. *l.13. C.d.usufr.* discrimen est; qvamvis vicissim usus habitatione pingvior esse qveat, cum ille ad omnem necessitatem etiam ultra habitationis emolumentum, referatur. Add. *Hahn. ad Wesenb. t. d. Us. & hab. n.3. in fin.*

§. 46. *Servitus* deniqve *operarum servilium* est jus omne commodum ex operis ser-

vi alieni percipiendi. Cujus discrimen ab usu & usufructu JCti Rom. in eo constituunt, qvod neqve capitis diminutione, neqve non utendo, neqve etiam morte domini extingvatur. vid. *t. t. ff. d. oper. serv. l. 2. ff. d.* Us. & Usufr. *leg.* qvamvis etiam latius hoc jure ususfructus servi patere videatur, cum is præter operas suas aliunde qvoqve utilitatem præstare qveat.

§. 47. *Servitutes prædiales* seu *reales*, qvibus occasionem sine dubio vicinitas præbuit, intuitu prædii dominantis, qvod vel propter usum rusticum, vel urbanum, in inhabitatione præcipue consistentem habetur, in *rusticas* & *urbanas* dividi solent. In numero servitutum rusticarum regulariter sunt iter, actus, via, aqvæ ductus, vel haustus, pecoris ad aqvam appulsus, jus pascendi, similiter calcis coqvendæ, arenæ fodiendæ, lignandi & hujus generis aliæ. Ad urbanas vero referuntur servitus oneris ferendi, tigni immittendi, projiciendi protegendive, altius tollendi & altius non tollendi, luminum & ne luminibus officiatur, prospectus & ne prospectui officiatur, stillicidii avertendi, & non avertendi, fluminis recipiendi & non recipiendi, & deniqve servitus cloacæ.

§. 48.

§. 48. Cæterum ex promissa servitute nonnisi jus personale, ex constituta vero reale nascitur, indeqve orientem actionem JCti Rom. confessoriam dicunt, eandemqve negatoriæ, qvæ domino ad tuendam prædii sui libertatem competit, contradistingvunt. Vid. *tit. ff. si serv. vindic.*

§. 49. Seqvitur jam, ut de modis acqvirendi dominii *derivativis* breviter videamus. In horum numero qvi *traditionem*, qvod vulgo fit, collocant, modum conseqvendi dominium ab actu in translatione ejus interveniente non recte distingvunt.

§. 50. Enimvero an lege N. necessaria sit ad dominii translationem traditio, acriter disceptatum est. Ubi vox dominii sine dubio facultatem moralem de re suo arbitrio disponendi notat, ut diversa ejusdem explicatione, qva in enodanda hac qvæstione utitur *Pufendorf. L. IV. c. 9. §. 6.* opus non esse videatur; cum de dominio, qvatenus cum possessione physica conjunctum est, nemo ambigat, qvod ad ejus translationem reqviratur traditio. Qvocirca propositam qvæstionem simpliciter negandam censeo. Sicuti enim ad retinendum dominium opus haud est, ut qvis rei a-

ctu corporali velut incumbat, ita non apparet, cur ad acqvisitionem ejus apprehensio sit necessaria; præsertim cum apud omnes in confesso sit, fieri hoc per legis dispositionem immediate posse, cujus exemplum in materia legatorum Jure Rom. occurrit. vid. *l. 86. ff. d. leg. 2.* Qvidni ergo idem effectus conventionis esse qveat? Nulla sane ratio diversitatis, qvæ qvidem ex Lege Naturali fluat, dari potest. Jus tamen Civile nudæ pactioni effectum hunc detraxit, &, ut nonnisi mediante traditione, qvæ in Saxonia aliisqve Germaniæ locis in rebus immobilibus judicialis esse debet. vid. *Carpz. P. 1. C. 28. d. 21. Mev. ad Jus Lubec. Lib. 3. t. 6. a. 1.* ab uno in alterum actu inter vivos dominium transire debeat, constituit. vid. *l. 20. C. d. Pact.*

§. 51. Posito vero hoc Juris Rom. principio, qvod in materia hac, ut vidimus, indifferenti nihil rationi naturali repugnat, sponte sua inde conseqvitur, qvamvis res ex conventione alteri debeatur, ante tamen, qvam traditio facta est, dominium ejus penes debitorem remanere, atqve adeo in alium, accedente traditione, valide transferri, qvo casu is, cui prius ad eam rem jus qvæsitum est, adversus

versus alienantem ad interesse actionem habet. Nec sane difficili negotio ad rationes, qvæ *Pufendorf. L. IV. C. 9. §. 8.* in contrariam sententiam pertraxerunt, responderi potest.

§. 52. Traditio autem vel propria est, rerum nempe corporalium, vel analogica, per qvam res incorporales transeunt. Illa rursus vel vera est, qvæ actu corporali absolvitur, vid. *l. 8. ff. d. pecul.* vel ficta, eaqve vel certis symbolis fit, vel brevi, qvod ajunt, aut longa manu. add. *§. 43. & 44. l. d. R. D. l. 1. C. d. donat. l. 79. ff. d. solut.*

§. 53. Sed jam ad modos acqvirendi derivativos, unde tantisper digressi sumus, revertamur. Sunt illi duplicis generis. Vel enim facto prioris domini, vel immediate per legis dispositionem dominium ab uno in alterum transit. Illud rursus vel ultima voluntate, vel actu inter vivos contingit.

§. 54. Facto prioris domini bona in alios freqventissime transferuntur per *testamentum*; qvod non per *alienationem* cum *Grotio*, qvippe qvæ utriusqve partis consensum supponit, sed per *justam de eo, qvod qvis post mortem suam fieri velit, sententiam*, describimus.

mus. Origo ejus non qvidem ad effectum dominii, sed ad naturalem tamen æqvitatem, consensumqve gentium referenda est. Dividitur a JCtis Rom. in publicum & privatum; qvod Jure Novo rursus in scriptum, & nuncupativum dispescitur.

§. 55. Præterea JCti Rom. ultimam voluntatem faciunt vel solennem, vel minus solennem; qvo refertur testamentum militis, *t. t. ff. d. testam. mil.* Parentum inter liberas, *Nov. 107. c. 1.* Rusticum, *l. ult. C. testam.* tempore pestis. *l. 8. C. eod.* & ad pias causas conditum. *c. 11. X. d. testam.* Pertinent huc etiam Codicilli, in qvibus directa heredis institutio, qvæ in testamento regulariter adesse debet, deficit. vid. *t. t. d. Codic.*

§. 56. Conditur autem ultima voluntas primario eum in finem, ut qvis sibi heredem, qvi personam ipsius repræsentet, inqve sua bona succedat, designet; freqvens tamen est, ut præterea testamento accedant legata, & fideicommissa, qvæ ex mente legum Rom. vel universalia sunt, vel particularia; sicuti eædem heredi nimis gravato modo per Falcidiæ, modo per Trebellianicæ deductionem subve-

ſubveniunt. Qva de re Juris illius Interpretes late agunt.

§. 57. Cum vero in plerisqve Civitatibus ad lites fraudesqve evitandas certæ ſolennitates teſtatoribus præſcriptæ ſint, eæ diligenter a civibus obſervandæ veniunt; qvibus neglectis, nemo habet, qvod juſte conqveratur, tale teſtamentum inſuper haberi. Unde non videtur dubium, poſſe eum, cui alias ab inteſtato hereditas debetur, ejusmodi teſtamentum debitis ſolemnibus deſtitutum illæſa conſcientia impugnare, qvamvis fortaſſe ſeriam teſtatoris voluntatem eodem contineri credat. Neqve enim intelligitur teſtaroris voluntas, niſi rite, prout leges atqve ſtatuta cujusqve civitatis exegerint, declarata. Qvieſcentibus vero illis, qvi ab inteſtato ad hereditatem vocantut, ſcriptus heres recte hereditatem adit; cum illi juri huic in ipſorum favorem introducto hoc ipſo renuntient. Add. *l. pen. C. d. pact.*

§. 58. Affinis ultimæ voluntati eſt *donatio mortis cauſa*, qva qvis in eventum ſecuturæ ſuæ mortis in alterum acceptantem aliqvid confert. Qvæ donatio, ſive jam aliqvid datum, ſive tantum promiſſum fuerit, ante

mortem semper revocari potest. Vid. §. *l. l. d. donat. t. t. ff. d. Mort. caus. donat.* Unde si qvid irrevocabiliter donetur, non tam donatio mortis causa, qvam inter vivos, qvæ regulariter præsumenda, erit. Add. *l. 27. ff. d. t. Carpz. P. 2. C. 12. d. 24.*

§. 59. Dantur deniqve aliæ etiam *mortis causa capiones*, ut vocant, ut si qvis propter mortem alterius, vel qvod hereditatem sibi debitam omisit, aliqvid dono accipiat. Vid. *l. 8. & 31. ff. d. m. c. donat.*

§. 60. Videamus jam, qvomodo immediate per dispositionem legis Naturalis rerum dominia transeant. Contingit autem hoc in successionibus ab intestato. Cum enim nemo bona sua, de qvibus in eventum mortis peculiariter non disposuit, pro derelictis habere, sed potius iis, qvibus optime vivus cupiebat, relinqvere velle censeatur, inde ratio Naturalis circa ordinem succedendi voluntatem defuncti probabilissime præsumtam seqvi jubet.

§. 61. Pacis vero & tranqvillitatis humanæ interest, de hac voluntate non ex peculiari cujusqve individui inclinatione, sed communi hominum affectu judicare, qvamvis for-

fortasse hic a vera defuncti voluntate discrepet, qvi sibi imputare debet, qvod pro singulari affectu suo de bonis expresse haud disposuit.

§. 62. Qvocirca prima ratio habenda est *liberorum*, in qvos vehementissimo affectu parentes ferri solent, & ad qvos alendos, educandosqve per ipsam naturam adstringuntur. Liberorum vero nomine non solum primi, sed etiam ulteriorum graduum veniunt; unde hi cum illis Jure repræsentationis ad hereditatem admitti solent. Qvod jus non qvidem ex aliqvo præcepto legis Naturalis fluit, sed manifesta tamen æqvitate nititur. Ex qvo fonte etiam hereditatis in stirpes divisio repetenda est.

§. 63. Qvamvis autem ii, qvi ex illegitimo concubitu suscepti sunt, numero liberorum excludi neqveant, neqve ex Parentum delicto reatum contrahant, rationi tamen, & præsumtæ illi, qvam præstruximus, voluntati congruit, eosdem parem tnm legitime natis favorem non experiri; cum hi qvidem parentum voto in decus & propagationem familiæ generentur; illicitos vero amplexus homines occultari potius, qvam libidinis suæ testes in publicum produci cupiant.

Jure

Jure Rom. distingvitur intet naturales, seu ex concubina susceptos, & spurios. Illi nonnisi eo casu, qvo pater neqve legitimos liberos, neqve conjugem relinqvit, ad paternam hereditatem, & ex sextante qvidem, vocantur. *Nov. 89. c. 12. §. 4.* hi vero Patri, licet ex post facto civiliter certo, haud succedunt. vid. *§. 12. l. d. nupt. Carpzov. Pr. Cr. q. 68. n. 129. ubi præj.* nisi qvod nonnulla Germaniæ loca utrosqve pari favore complectantur. Conf. *Stryk. d. succ. ab Int. Diss. 1. c. 2. th. 53.* Sicut etiam utriqve matri suæ non secus, ac justi liberi, succedunt. *l. 2. & 8. ff. Und. cogn. l. 1. §. 2. ff. ad SCt. Tertull.* jung. tamen. *l. 5. C. ad SCt. Orfic.* De natis ex coitu peculiariter damnato, puta adulterio, aut incestu nullum qvidem, qvo a successione arceantur, præceptum naturale extat; sed tamen, cum nefandi sceleris monumenta sint, justam conqverendi causam non habent, si alimentis contenti esse jubeantur.

§. 64. Cæterum ita liberis parentum hereditas debetur, nisi de contraria ipsorum voluntate, puta per exheredationem, constet. Hanc autem nonnisi ex justa & gravi causa fieri oportet. Jus Rom. qvatuordecim in *Nov.*

in *Nov. 115. c. 3.* expressas admittit Exheredatio vero proprie notat exclusionem ab ea parte hereditatis, qvæ per ipsam legem debetur, & hinc *legitima* dici solet; de qva, utrum ex aliqvo naturali præcepto fluat, disceptari solet. Qvam litem, separando necessaria alimenta ab eo, qvod amplius in legitima Jure Rom. determinata continetur, facile componas.

§. 65. Deficientibus liberis, bona defuncti ad superstites ejus parentes, tum qvod ab iisdem saltem qvoad prima initia, & veluti semina plerumqve provenerunt, tum propter affectum, qvi post liberos maximus illis debetur, transmitti par est; nisi fortasse & ipsi ex gravibus causis, qvas leges Rom. in *d. Nov.* definiunt, exheredari meruerint.

§. 66. Inter ascendentes successio in capita fieri solet. Qvamvis enim repræsentationem ab iis nulla lex N. excludat, rationi tamen valde congruit, ut, qvia spes successionis non ascendit, in ordine ascendentium eadem negligatur. Aliqvando etiam cum parentibus defuncti fratres Germani, eorumqve liberi ad hereditatem vocantur, qvod Jxre Rom. introductum. vid. *Nov. 118. c. 2. & Nov. 127.*

127. c. 1. a qvo tamen leges Saxonum receſſerunt. Landr. *Lib. 1. a. 17. Carpz. P. 2. C. 17. d. 6.*

§. 67. Tertius ſucceſſionis ordo eſt *Collateralium*, qvem qvidem Jus Naturæ nullo præcepto determinat; ſed ad lites tamen præſcindendas a communi hominum affectu conjecturam duci, & cuiqve gradu propinqvitatis proximo hereditatem deferri, pacis & tranqvillitatis humanæ intereſt. Unde nec amicorum habenda ratio, qvoties ſuper iisdem nihil defunctus diſpoſuit.

§. 68. Qvomodo *facto prioris domini* per donationem, aut interveniente contractu, rerum dominia transferantur, infra videbimus. Supereſt, ut hoc loco paucis diſqviramus de illo acqvirendi modo, qvi *Uſucapio* dici ſolet; eaqve communiter definitur, qvod ſit. *Adjectio dominii per continuationem poſſeſſionis, tempore lege definito.* vid. *l. 3. ff. d. Uſuc.*

§. 69. Fundamentum uſucapionis neqve ex præcepto Juris N. qvale nullum demonſtrari poteſt, neqve cum *Grotio d. J. B. & P. l. 2. c. 4.* ex tacita derelictione prioris domini, qvippe qvam expreſſa repetitio excludit, ſed ex mera æqvitate naturali, & publica utilitate, ne innu-

innumeris litigiis ansa detur, rerumqve dominia perpetuo incerta sint, repetendum venit.

§. 70. Illud in aprico est, usucapionem reqvisita sua per leges demum Civiles accepisse; qvæ tamen & ipsa ratioui congruunt, atqve ex naturali æqvitate defendi qveunt. Reqviruntautem leges Rom. ad hunc acqvirendi modum primo *bonam fidem*, seu firmam opinionem, qva possessor rem suam esse credat; & sufficit illo jure, bonam fidem tempore traditionis, aut aliqvando etiam tempore contractus initi adfuisse. Vid. *l.un. C. d. Usuc. transform.* cum Jus Canonicum contra, qvod mores Germaniæ seqvuntur, omnem malam fidem, etlam supervenientem, excludat. *c. 5. & ult. X. d. Præscr.* Add. *P. 2. C. El. 3.*

§. 71. *Titulus* etiam, qvo res aliena ad possessorem pervenit, *justus* esse debet, seu idoneus ad transferendum dominium; qvalis est emtionis, donationis. Vid. *pr. I. d. Usucap.* Sufficit etiam aliqvando, in rebus nempe incorporalibus, titulus præsumtus. Præterea ipsæ res ab usucapione non debent esse exemtæ, qvales sunt res sacræ, sanctæ, item publicæ. Sicut etiam res meræ facultatis usucapioni non sunt obno-

obnoxiæ; id qvod ipsa earum indoles & natura impedit; nisi qvis fortasse in prohibitione alterius acqviescat. Add. *Carpz. P. 2. C. 4. d. 9. 11.* Qvo referuntur etiam res furtivæ, & vi possessæ, item res pupillorum, minorumqve, fiscales, dotales; atqve ecclesiasticæ; & hujus generis aliæ. Continuata etiam debet esse possessio, sive in propria, sive successoris, hujusqve vel universalis, vel singularis, persona.

§. 72. Tempus vero ad complendam usucapionem Leges Rom. in rebus qvidem mobilibus triennio, in immobilibus vero decennio inter præsentes, & vicennio inter absentes definierunt. De termino apud Saxones constituto vid. *LandR. l. 1. a. 28.* Dantur etiam Jure Rom. præscriptionum plura genera, puta longissimi temporis, centenaria, immemorialis, aliæqve plures.

§. 73. Sed hæc de natura dominii, ejusqve acqvirendi modis sufficiant. Ex introducto autem dominio fluit obligatio, qvod qvisqve teneatur pati, ut alter rebus suis qviete fruatur, &, si ipsarum possessione exciderit, efficere, ut in ejus potestatem revertantur. Add. *Pufend. L. IV. c. 13. §. 1. seqq.* Neqve id de re ipsa tan-

tantum, sed etiam fructibus ejus verum est. Qvo loco repetenda sunt, qvæ de restitutione fructuum in superioribus diximus.

CAPUT DECIMUM QVINTUM.

DE PACTIS ATQVE CONTRACTIBUS.

§. I.

Cum freqvens sit, ut res, interveniente conrractu, ab uno in alterum transeant, inde jam de materia Pactorum atqve Contractuum agendum. Ubi pauca de natura pretii, qvod contractus præsupponunt, præmittenda videntur.

§. 2. Est autem *pretium* nihil aliud, qvam valor rerum & actionum in commercium venientium, juxta qvem illæ invicem comparari qveunt. Originem ipsi commerciorum utilitas, & præsertim permutationis incommoda pepererunt. Estqve vel *vulgare*, vel *eminens*.

§. 3. *Pretium vulgare* est valor, qvi rebus & actionibus inest, ratione usus & delectationis, quam hominibus afferunt. Fun-

damentum ejus adæqvatum non in sola naturali indigentia, qvod velle videtur *Grotius*, sed in aptitudine cujusqve rei & actionis, ad vitam humanam commodiorem & jucundiorem reddendam qværendum est.

§. 4. Ubi observandum, eas res, qvæ in commercia hominum per se & principaliter haud veniunt, sine pretio relictas esse. Huc aërem, Oceanum, item res sacras, religiosasqve referas.

§. 5. Pretia rerum natutalium intendere solet raritas, præsertim cum indigentia conjuncta; artificialium autem subtilitas & elegantia artis, operisqve difficultas, & similia.

§. 6. Cæterum ratio vitæ civilis, commerciorumqve utilitas mature svasit, ut, qvia vulgare pretium expediendis negotiis haud sufficiebat, pretium aliqvod eminens & pretia rerum vulgaria virtualiter complexum constitueretur. Cui fini maxime metalla nobiliora, aurum argentumqve, inservire visa sunt. Definire autem valorem nummi penes eum est, qvi summam in Rep. potestatem habet. Qva in re tamen communis

nis aliarum gentium, præsertim vicinarum, æstimatio respicienda.

§. 7. Sed jam videndum de pactis, & conttactibus, qvi pretia rerum præsupponunt. Est vero *pactum* in genere duorum pluriumve in idem placitum consensus. Qvo sensu nihil obstat, qvo minus saltem in disciplina Juris N. pacta cum contractibus plane convenire dicamus, ut necesse haud sit, discrimen a Pufendorfio iu *Tr. d. l. N. & G. L. V. C. II. §. 4.* allatum admitti. Jure Rom. autem inter pactum & contractum hoc discriminis est, qvod illud sit conventio, nomine & causa destituta; contractus vero causam, h. e. vim internam producendi actionem in foro efficacem habeat. vid. *l. 15. ff. d. P. V. l. 7. ff. d. Pact.* Qva virtute efficaciter obligandi qvædam pacta omnino carent, & hinc *Nuda* vocantur; alia eandem extrinsecus vel a legis speciali confirmatione, vel a contractu, cui incontinenti adjecta sunt, acceperunt. Illa *legitima*, hæc *adjecta* dicuntur.

§. 8. Divisio Contractuum maxime naturalis est, qvod alii sint unilaterales, seu benefici, alii vero bilaterales, seu onerosi. Cæterarum vero divisionum præsertim in no-

minatos & innominatos, bonæ fidei, & stricti juris, origo ex mero Jure Civili repetenda est.

§. 9. Benefici Contractus sunt commodatum, mandatum, atqve depositnm. Commodatum est, cum certus & gratuitus rei nostræ usus alteri conceditur. Qvæ si citra commodatarii culpam perierit, damnum commodantis est, utut fortasse apud eundem interitura haud fuerit; secus atqve Pufendorfius contendit *d. O. H. & C. L. I. C. L. I. C. XV.* §. *6.* In eoqve Jura Civilia consentiunt, qvæ ultra leviſſimæ culpæ præstationem commodatarium haud obligant. *L. 5. §. 2. ff. Commod.*

§. 10. Mandatum est Contractus de negotio alterius gratis expediendo. Ubi summa officii utriusqve huc redit, ut mandatarius fines mandati diligenter custodiat, illudqve cum fide exeqvatur; mandans vero ipsum indemnem ratione sumptuum factorum præstet. Qvem in finem LL. Rom. duplicem actionem, alteram directam, alteram contrariam suggerunt.

§. 11. Depositum est, qvando rei alienæ custodia gratis recipitur. Distingvi solet in simplex, & miserabile. Cujus divisionis effe-

effectus, qvod contra posterius inficiantem dupli actio locum habeat, ex mero Jure Civili dependet. Cæterum si sumtus in rem depositam facti sint, hos a deponente refundi æqvum est.

§. 12. Seqvuntur Contractus onerosi. De qvibus in genere notandum, qvod in illis æqvalitas versari, atqve ad eam servandam res cum omnibus qvalitatibus, vitiisqve suis cognita esse debeat. Ne tamen hæc super æqvalitate non satis exacte servata qvæstio infinitis litigiis in foro occasionem præbeat, jus Civile nonnisi enormes læsiones corrigit. vid. *l. 2. C. d. Rescind. Vendit.*

§. 13. Antiqvissimus inter Contractus onerosos est *permutatio*; cum res invicem vel simpliciter, vel loco pecuniæ traduntur. In qva cum subsit consensus utriusqve partis, uni, altera invita, qvamvis nondum subsecutum sit implementum, pœnitere haud licet. Qvod aliter Jure Rom. sicut in cæteris contractibus innominatis obtinet. vid. *l. 5. §. 1. ff. d. P. V.*

§. 14. Emtio venditio est, cum certa res pro certo pretio traditur. Qvi contractus perfectus statim, atqve partes in rem & pretium pure consenserunt. Executio vero ejus sæpe

differri solet; qvo casu dominium rei nondum traditæ interim penes venditorem manet; nisi aliud conventione expressum sit; Nam per hanc solam naturaliter dominium transferri posse, supra ostendimus.

§. 15. Res fungibiles venduntur vel ad certam qvantitatem & mensuram, vel per aversionem. Illo casu si qvid deficiat, supplendum est, vel tantum de pretio detrahendum, qvantum eidem respondet. Qvod in altera venditione secus est. Huic enim, nec non illi, qva probabilis tantum spes emitur, semper aliqvid aleæ admistum est.

§. 16. Nec vero opus est, ut venditor præcise dominium rei in emptorem transferat, sed sufficit, ipsum in possessione & facultate usucapiendi constituisse. Vid. *l. 30. §. 1. d. Act. emt. l. 25. §. 1. d. Contrah. emt. l. 28. ff. Eod.*

§. 17. Illud etiam rationi naturali maxime convenit, ut periculum rei ante traditionem emtor potius, qvam venditor, ferat; tum qvia omne commodum a tempore venditionis factæ ex ea percipit; tum qvia in arbitrio ipsius est, possessionem ejus, soluto pretio, a venditore avocare. Qvod pari modo etiam Jure Rom. constitutum est. *§. 3. l. d. empt. & vend.*

§. 18.

§. 18. Cum duobus res vendita, priorem prævalere, æqvitati convenire videtur; qvia per priorem emtionem facultas de re disponendi abit; Sed nullum tamen hic Juris N. præceptum subest. Unde Jure Civili citra iniqvitatem ille prælatus, cui priori res tradita. *l. 15. C. d. R. V.* Cujus legis adæqvata ratio non in jure in re, qvod vulgo asserunt, sed defectu actionis civilis contra ejusmodi possessorem, collocanda est. Emtioni venditioni varia pacta adjici solent; ut legis commissoriæ, addictionis in diem & de retrovendendo.

§. 19. Locatio conductio est, cum usus rei vel opera personæ pro certa mercede conceditur. Qvæ merces in pecunia numerata consistere solet. Nam si id agatur, ut fructus sint loco mercedis, irregulare negotium est. vid. *l. 25. §. 6. ff. locat. l. 21. C. h.*

§. 20. Initur hic contractus plerumqve consensu expresso. Censetur tamen tacite renovatus esse, qvando conductor post elapsum tempus, qvod eidem definitum est, usum rei locatæ, non contradicente locatore, continuat. Ubi rationi naturali maxime congruit, ut ad idem tempus, qvo prima locatio inita, tacite reconductio facta esse intelligatur. Jus Civile

inter prædium urbanum, & rusticum distingvit. In illo reconductionem ad id tempus, qvo habitatum est, in hoc ad annuum spatium restringit. *l. 13. §. ult. ff. Locat.*

§. 21. Officium locatoris est, ut rem ad usum habilem, vel operas fideliter præstet. Neqve ratione illius temporis, qvo casus fortuitus hanc præstationem excluſit, mercedem recte petit. Add. *l. 15. §. 6. ff. Locat.* Qvamvis in operis continuis nonnihil hic eidem indulgere, humanitas jubeat. Add. *l. 27. ff. eod.* Pensio etiam ob sterilitatem & casum fortuitum inconsvetum remittenda. Conductor contra mercedem solvere, & damnum dolo, vel culpa datum resarcire tenetur.

§. 22. *Mutuum* est contractus, qvo rei nostræ fungibilis dominium ita in alterum transfertur, ut eadem post aliqvod tempus in genere, seu eadem qvantitate & qvalitate restituenda sit. Idqve vel graris contingit, vel cum aliqvo commodo, qvod *usura* vocatur; in qva si rationem lucri cessantis & damni energentis habeas, nihil iniqvitatis subesse, facile apparet. Unde non erat, cur in usuras, si moderatæ sint, Jus Canonicum tam graviter inveheretur.

§. 24.

§. 23. *Societas* est contractus de re aut opera conferenda, ut lucrum & damnum commune sit. In qvo negotio alter alteri damna dolo, aut culpa illata resarcire debet. Sufficit autem, sic in eo versari, ut in suis qvis rebus solet; cum qvi in consortium suum alium assumit, ejus consvetudinem, vivendiqve rationem tacite approbet. Add. §. *ult. l. d. Societ.*

§. 24. Circa divisionem lucri vel damni ad conventionem inter socios initam respiciendum est; sin hæc deficiat, sortis illatæ, operæqve adhibitæ ratio habenda. Add. *Struv. ad Pand. Ex. XXII. th. 30. seqq.*

§. 25. Freqvens est, ut contractibus ad majorem eorundem firmitatem fidejussor accedat, qvi fidem suam pro alieno debito interponit, ut creditori eo magis cautum sit. A qvo fidejubendi munere neminem, qvi sanæ mentis est, & res suas administrat, Jus N excludit. Jure autem Rom. fæminis propter fragilitatem sexus facultas efficaciter pro alio intercedendi, nisi beneficio suo renuncient, ademta est. Vid. *t. t. ff. & C. Ad Sct. Vellej.*

§. 26. Obligatur autem fidejussor creditori solum in subsidium. Unde reus prin-

cipalis, qvi solvendo est, neqve difficulter conveniri potest, prius excutiendus. Add. *Nov. 4. & Auth. præsente C. d. fidejuss.* Nam qvi id agit, ut principalem in se obligationem transferat, non fidejussor, sed expromissor est; qvalis ob duriorem ejus conditionem in dubio non censetur, si vel maxime qvis fidem suam, ut debitor principalis, interponat. Qvodsi plures fidejusserint, omnesqve solvendo existant, nonnisi pro rata tenentur. Si tamen unus solidum solvere paratus sit, exigere a creditore potest, ut qvia ipsi hunc in modum plene satisfit, actionem adversus confidejussorem cedat. Qvamvis, spectata præsertim naturali simplicitate, hac ambage opus non sit, sed recta via eundem ob negotium ejus utiliter gestum convenire liceat.

§. 27. Sæpe etiam in securitatem crediti jus pignoris & hypothecæ in bonis debitoris constituitur; qvod fit vel per traditionem ipsius rei, & in specie pignus audit; vel per assignationem seu conventionem nudam, qvæ hypotheca vocari, & plerumqve in rebus immobilibus locum habere solet. Add. *l. 4. C. d. pign. & hypoth. t. t. ff. d. pign. act.*

§. 28. Qvem vero in modum constitui hypo-

hypothecam oporteat, ex voluntate civilis legislatoris dependet. Sic leges Saxonum judicialem hypothecam nuda conventionali potiorem esse volunt. Vid. *P. 2. Const. El. 23. ibique Carpz. Dec. Nov. 31.*

§. 29. Accedit aliqvando oppignorationi pactum antichreticum, & Legis Commissoriæ. Illud est, vi cujus creditor in compensationem usurarum fructus ex re oppignorata suos facit. Add. *l. 11. §. 1. d. pign. & hyp.* Qvod tamen ad modum legitimarum usurarum redigere, & excessum in sortem imputare æqvitas jubet. Add. *l. 14. C. d. Usur.* Pactum vero legis commissoriæ est, qvo inter creditorem & debitorem convenit, ut, si hic stato die non solvat, res oppignorata illi cedat. In qvo pacto nihil est, qvod naturali rationi repugnet, modo sic capiatur, ut tempore elapso eadem justo pretio empta esse debeat. Qvod nec legibus Romanis improbatur. Vid. *l. 16. §. ult. d. pign. l. ult. pr. de contrah. empt.*

§. 30. Illud ex mero Jure Civili est, qvod aliqvando citra conventionem immediate lex jus pignoris tribuit; qvæ hypotheca tacita vocatur, in favorem certarum rerum vel personarum introducta. Judici etiam interdum hæc

hæc facultas conceſſa per immiſſionem in bona debitoris contumacis jus pignoris tribuendi; idqve pignus judiciale atqve prætorium dicitur. Add. *l. 15. §. 2. ſeq. ff. d. rejud.*

§. 31. Qvodſi inter debitorem & creditorem convenerit, ut hic, deficiente ſolutione, pignus propria auctoritate occupare debeat, hoc ita reſtringendum erit, ſi id ſcitra tumultum & altero permittente fieri poſſit; cum pacta privatorum, qvatenus publicæ tranqvillati repugnant, ſint invalida. Add. *l. 13. C. d. pignor. l. pen. C. d. pignor. act.*

§. 32 Cæterum qvia pignus intuitu debiti conſtituitur, ſeqvitur, hoc ſoluto illud extingvi; Unde nec pactum, ne luere pignus liceat, valet, ſed cum ipſa naturali ratione pugnat.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE MODIS TOLLENDI OBLIGATIONEM, NEC NON DE INTERPRETATIONE.

§. I.

HActenus de pactis & contractibus. Seqvitur jam, ut modos tollendi obligationes ex illis ortas

ortas paucis videamus. Inter qvos maxime naturalis est *solutio* seu expletio ejus, qvod alteri debetur. Add. *pr. l. Qvib. mod. toll. obl.* Nec vero interest, utrum ille ipse, qvi debet, an vero ejus nomine alius præstet; utroqve enim casu contingit liberatio; sed ita, ut alter nisi de animo donandi evidenter constet, ejus, qvod erogavit, repetitionem habeat.

§. 2. Solutio autem ipsi creditori facienda est, non alteri, eo invito. Ersi ratio vitæ civilis non permittat, speciatim voluntatem ejus semper explorari; sed qvandoqve præsumta ad liberandum debitorem sufficiat. Ut si qvis famulo solverit, per qvem alias dominus debita exigere consvevit. Vid. *l. 38. §. 4. d. Solut.*

§. 3. Amplius integrum, qvod debetur, solvendum, neqve solutio partis invito creditori obtrudi potest; adeo ut ne qvidem totam sortem citra usuras accipere oporteat; nisi fortasse pars debiti sit illiqvida, aut summæ diversæ debeantur; aut deniqve legislator civilis in aliqvo casu partium præstationem admiserit. Qvod accidit in coheredibus, inter qvos obligationes & actiones ipso jure divisæ sunt. *l. 6. C. fam. ercisc.*

§. 4. Si-

§. 4. Sicuti præterea opportuno loco facienda solutio, neqve diutius differri debet, qvam inter partes conventum; ita ante diem etiam invito creditori recte solvitur, qvia in favorem debitorum dies regularirer adjici consvevit.

§. 5. Mutuo etiam dissensu perimuntur obligationes consensu contractæ. vid. *l. 35. ff. d. R. l.* Ubi si qvid jam ab altera, vel utraqve parte sit præstitum, utrinqve reddendum, & causa in pristinum statum reducenda est. Sed uni altero invito recedere a contractu haud licet, nisi hæc facultas in specie per legem Civilem concessa sit. Add. *l. 5. C. d. Obl. & Act.* Qvod in contractu societatis & mandati Jure Rom. factum est.

§. 6. Qvi debitum ex pluribus causis solvit, in eam solvisse inteligitur, qvam ipse dixit; in dubio autem ex præsnmta debitoris voluntate in duriorem, gravioremqve causam solutio facta esse censetur. Qvam præsumtionem etiam leges Rom. confirmant. vid. *l. 3. & 5. ff. d. Solut. l. 4. C. eod.*

§. 7. Inter modos solvendi obligationem est etiam *compensatio*, qvæ est debiti & credi inter se contributio. Statim ergo atqve credi-

creditor debitori viciſſim debere incipit, hic usqve ad concurrentem ſummam liberatur. Qvod JCti Rom. innuunt, cum hic liberationem ipſo jure contingere, monent. Add. *l. 1. ff. d. Compenſ.* Qvamvis ea qvoqve per modum exceptionis alleganda ſit in judicio, ut judici de illa conſtet. Add. *l. ult. C. eod.* Liqvet autem, compenſationem proprie nonniſi in qvantitatibus, ſeu rebus fungibilibus locum habere, ad ambages ſolutionesqve inutiles declinandas.

§. 8. Objici vero compenſatio cuicunqve creditori poteſt; neqve ab hac regula exceptionem Jus N. conſtituit; qvamvis non impediat, qvo minus per Leges Civiles privilegium certis cauſis tribuatur, vi cujus neceſſitas præſtandi, qvod debetur, per compenſationem haud excludatur. Sic in cauſis tributorum, depoſiti, alimentorum & ſimilibus in foro cum effectu opponi neqvit; qvod memoratæ cauſæ ſingularem favorem complectuntur. Vid. *l. 1. l. 3. C. d. Compenſ. l. ult in fin. C. eod. §. 30. l. d. Act.* Qvod non ita accipiendum, qvaſi lex civilis debito, qvo creditor viciſſim debitori obſtrictus eſt, hunc defraudare poſſit; ſed qvod hoc prætextu favorabilem ejusmodi ſolutionem

nem remorari non debeat; cum separato deinceps judicio creditorem suum conveniendi facultatem habeat.

§. 9. A compensatione stricte accepta differt *Jus retentionis*, cum qvis rem alienam tantisper detinet, donec ipsi, qvod intuitu illius rei debetur, solutum sit.

§. 10. Amplius per *remissionem* creditoris obligatio tollitur, qvocunqve modo animum donandi is explicet. Hinc inter acceptilationem & pactum de non petendo nihil interest; qvæ olim apud Romanos in eo differebant, qvod illa ipso jure obligationem tolleret, ita ut debiti hunc in modum extincti nomine nulla actio supereffet, hoc vero ope demum exceptionis. vid. *l.27. §. 2. ff. d. pact.* Tacite etiam remitti obligatio videtur, cum qvis ipse debitori impedimentum objicit, qvo minus eam adimplere possit.

§. 11. Pertinet huc qvoqve *Novatio*, qvæ est priotis debiti in aliam obligationem transfusio. Estqve alia *in specie sic dicta*, qvando causa debiti vel modus obligandi mutatur, eodem creditore & debitore manente; alia *delegatio*, cum qvis creditori suo consentienti debitorem suum substituit, ut hic ipsius loco

loco debitum exsolvat. Add. *l. 1. & 11. ff. d. Novat.* §. 3. *l. Qvib. mod. toll. obl.* Talis autem novatio haud subest in cessione nominis seu actionis, qvæ fit etiam insçio & invito debitore. Unde hic liberatur, si prius, qvam cessio ipsi denunciata sit, priori creditori solverit. Add. *l. 3. C. d. Novat.*

§. 12. Tollitur porro obligatio per rei, qvæ debetur, interitum; modo is citra culpam debitoris contingat; neqve genus aut res fungibilis in obligatione fuerit. Talis enim, qvia damnum in eodem genere semper reparari potest, perire haud intelligitur. Add. *l. 9. & 11. C. Si cert. pet. l. 5. d. Reb. cred.*

§. 13. Per mortem debitoris solvitur obligatio, in persona ejus radicata. Regulariter autem obligatio, qvæ ex pacto & contractu descendit, etiam heredes stringit; tum qvod personam defuncti repræsentant; tum qvod bona ejus, ex qvibus obligationi satisfaciendum erat, cum hoc onere in ipsos transiisse intelliguntur. Aliqvando etiam sponte, & vel officio pietatis, vel alia ratione inducti obligationem in se recipiunt, & explent.

§. 14. Præterea obligatio ad tempus contracta hujus lapsu perimitur. Nec tamen

qvicqvam impedit, qvo minus tantisper sustineatur, & actio ex illa detur, qvæ deinceps per oppositam exceptionem elidatur. Qva ambage Jus Rom. utitur, qvo obligatio ex contractu, ubi aliqvid juris perfecti in alterum transmittitur, orta etiam tempore elapso durat, ex eaqve valide agitur; ita tamen, ut ejusmodi actionem exceptio pacti enervet. Cujus hanc rationem JCti Rom. reddunt, qvod tempus facti sit, adeoqve vi tollendi ea, qvæ juris sunt, destituatur. Sed sufficit, simpliciter dixisse, circuitum hunc cum damno debitoris conjunctum haud esse, & hinc a libero legislatoris Civilis arbitrio pendere. Add. *§.3.l.d.V.O.l.44.§.1.ff.eod.*

§. 15. Deniqve *perfidia* alterius partis sæpe abrumpit obligationem. Neqve enim satisfacere qvis contractui tenetur, qvamdiu alter eundem ex sua parte haud adimplevit. Unde exceptio non adimpleti contractus oritur, qvam contra qvamvis actionem, & in qvovis processus genere leges Civiles admittunt.

§. 16. Exposito pactorum & contractuum argumento, nunc de interpretatione eorum pauca subjicienda. Fundamentum ejus

jus & norma est collectio ex signis maxime probabilibus deducta. Inter signa autem principem locum tenent verba, qvæ regulariter in proprio, & populari suo significatu, nec non vocabula artium secundum definitionem prudentum cujusqve artis accipienda sunt.

§. 17. Qvodsi verba, eorumqve complexio sit ambigua, conjecturis ad eliciendam voluntatem opus est; qvarum tres locos designat *Grotius*; ex substrata materia, effectu, & conjunctis. Ex illa fluit vulgata regula, qvod verba capienda sint secundum substratam materiam; qvippe qvæ semper loqventi ante oculos fuisse censetur. Add. *l. 43. ff. d. damn. inf. l. 17. C. d. act. emt. & vend.*

§. 18. Non raro etiam genuina verborum sententia ex effectu apparet. Qvoties enim verba crude & simpliciter posita vel nullum, vel absurdum effectum post se tractura essent, toties a recepta significatione discedendum. *Pufend. Tr. d. l. N. & G. L. V. C. 12. §. 8.*

§. 19. Circa conjuncta notandum est, obscuriores locutiones ex planis & perspicuis interpretandas, atqve adeo antecedentia cum conseqventibus diligenter comparanda esse. Add. *l. 94. & 115. ff. d. V. O.* Illud etiam cum-

primis obſervandum, ut explicatio legis rationi, præſertim ſi unica & adæqvata ſit, conveniat; modo de illa conſtet. Nam ſola voluntas legislatoris ſufficit, utut ratio legis ſubditis haud innotuerit.

§. 20. Cumqve interpretatio ſit vel declarativa, vel extenſiva, vel reſtrictiva; iſta in favorabilibus, hæc autem in odioſis adhibenda eſt. Qvid autem dicatur favorabile, & qvid odioſum, explicat *Pufendorfius d. O. H. & C. L. I. C. XVII. §. 9.* Add. tamen *Dn. Thomaſ. JPr. Div. L. II. C. II. §. 160. & Append. ad Lib. II.*

Caput Decimum Septimum.

DE OFFICIIS EX DIVERSO STATU FLUENTIBUS.

§. I.

TRanſeamus jam ad officia, qvæ homini ex diverſo ſtatu obeunda incumbunt. *Status* autem nihil aliud eſt, qvam conditio, in qva conſtituti ad certum genus actionum exercendum obligantur. Eſtqve vel *Naturalis*, vel *Adventitius*.

§. 2. *Status Naturalis* eſt, in qvo qvis per

per ipsam naturam citra factum & institutum humanum constituitur. In hoc statu homines sunt æqvales, neqve alia cognatione, qvam communi illa, qvæ ex similitudine naturæ resultat, copulantur. Qvalis status olim inter patresfam. segreges, hodie vero inter diversas civitates ac Resp. existit.

§. 3. Illud in aprico est, nunqvam universum genus humanum in hoc statu fuisse. Nam qvi ex primis mortalium nati erant, patriæ potestati statim subjiciebantur. Ubi vero postea multiplicati homines in diversa secessérunt, propriasqve sibi familias constituerunt, exolescente paulatim affectu ex peculiari cognatione orto, nonnisi commnne illud, qvo homines sociantur, vinculum retinuerunt, atqve adeo status naturalis emergere cœpit, donec tandem rursus ab hoc molestiarum ejus pertæsi recederent, atqve in civitates coalescerent.

§. 4. Proprium status naturalis est libertas omnia ex suo arbitrio constituendi. Qvod arbitrium tamen ut recte se habeat, juxta leges Naturales attemperandum est. Controversiæ autem in hoc statu exortæ amicabili compositione, vel provocatione ad ar-

bitros, vel certe mitiori remedio deficiente, bello componuntur.

§. 5. *Status adventitius* est, qvi ex facto aliqvo & instituto humano venit. Qvorsum primo loco referas *Societatem Conjugalem.* Ad hanc ipsa natura fert, & acris propensio impellit; & qvia ad propagandam speciem humanam instituta est, liqvet, omnem usum membrorum genitalium, qvi huic fini non respondet, esse illicitum; atqve adeo instinctum, qvem cuiqve natura insevit, ad hunc solum referendum esse.

§. 6. Satis etiam patet, finem hunc citra confusionem generis humani per vagos concubitus obtineri non posse; hinc propagationem humanæ speciei legibus connubiorum attemperandam, & qvibusdam veluti finibus circumscribendam fuisse.

§. 7. Qvocirca in aprico est, cum matrimonium sit fundamentum vitæ socialis, ad hanc vero colendam qvisqve obligetur, teneri singulos ad matrimonium animos appellere; sed nonnisi per modum præcepti indefiniti, qvod, sicut omnia affirmativa, ad sui impletionem reqvirit occasionem, non ex sola generandi, sed & uxorem alendi, & patrisfamilias

milias partes recte & utiliter administrandi facultate æstimandam. Imo si qvis retundere stimulos, & desiderium liberorum digerere sciat, intelligatqve, plus se per cælibatum, qvam per munus proletarii humano generi profuturum, laudem meretur, si nullam conatibus suis remoram per muliebres illecebras injiciat; præsertim in tanta eorum copia, qvi in sobole exitanda elaborant.

§. 8. Ætatem certam Jus N. ad matrimonium haud reqvirit, cum in aliis maturius, in aliis tardius generandi se facultas exerat. Ne vero eam in rem peculiari investigatione in qvolibet individuo, & inspectione habitus corporis opus esset, Jus Rom. masculis anno 14. fæminis artem 12. completo facultatem matrimonium contrahendi indulsit.

§. 9. Illud manifestum ex dictis est, societatem conjugalem sobolis procreandæ causa maxime institutam esse; Unde primarium ejus pactum in præbendo invicem, non aliis, corpore consistit. Cui mutua promissio de adjutorio præstando accedit.

§. 10. Utri vero, marito, an uxori, in hac societate imperium competere debeat, Jus N. haud definit, sed a mera conventione

in ſtatu Naturali dependet. In Statu vero Civili qvia maritus familiæ caput eſſe ſolet, ſibiqve ſociam qværit, uxorem ejus directioni obnoxiam eſſe, par eſt.

§. 11. Præterea ex eo, qvod procreatio ſobolis finis matrimonii eſt, liqvet, ad hujus formam atqve eſſentiam haud reqviri concubitum; cum finis primum qvidem in intentione, ſed ultimum in executione eſſe ſoleat. Qvo reſpicit vulgatum JCtorum dicterium: *Conſenſus, non concubitus, facit nuptias. l. 30. ff. d. R. I.* Unde nec opus eſſe exiſtimem, ut aliqva proprie uxor dici qveat, eam ita in manus mariti conveniſſe, ut illa tanqvam uxore uti poſſit; cum ſufficiat, conſenſum matrimonialem utrinqve adfuiſſe.

§. 12. Sicuti vero unius maris cum pluribus fæminis conjugium mero Jure N. haud damnatur; cum nec ſangvinis aliqvam confuſionem inferat, nec pacem generis humani & tranqvillitatem turbet; ita unam fæminam pluribus viris conjungi, rectæ rationi propter incertitudinem patris repugnare videtur. Cæterum Jure Divino poſitivo univerſali etiam polygamia virilis prohibita. *Gen. 2. v. 24. j. Matth. 19. v. 5.*

§. 13.

§. 13. Neqve etiam consangvinitas, vel affinitas mero Jure N. impedimentum aliqvod nuptiis injicit; nisi qvod in linea recta inter parentes & liberos initum conjugium ob reverentiam illis ab his debitam non satis conciliari cum ratione possit. Jus vero Divinum etiam in linea transversa gradus nonnullos prohibuit; qvos ut diligentius munirent legislatores Civiles, longius progressi sunt, variasqve prohibitiones legibus Divinis adjecerunt.

§. 14. Qvousqve autem matrimonium durare debeat, nullo Juris N. præcepto definitur. Qvod enim perpetuam vitæ consvetudinem complecti vulgo dicitur, a pacto & conventione, non a lege aliqva Naturali est. Unde Romani in jus N. peccasse non videntur, apud qvos, ut Conjuges bona cum gratia pristinum consortium abrumperent, receptum fuit.

§. 15. Jure autem Divino positivo nonnisi ob adulterium, & malitiosam desertionem arctissimum hoc conjugii vinculum dissolvitur; Ob morum autem improbitatem separatio qvoad thorum & mensam, salvo vinculo, decerni solet.

§. 16. Sicut vero in nuptiis contrahen-

dis officium pietatis exigere videtur, ut liberi consensum parentum expetant; ita nullum proprie Juris N. præceptum hoc postulat. Cum enim patria potestas naturaliter tanta sit, quanta ad liberorum educationem & gubernationem opus est, non apparet, cur eadem liberorum, qvi pleno jam usu rationis gaudent, matrimonia irrita declarare possit. Neqve obligatio ad audiendum & reverendum alterius consilium statim potestatem de re sua disponendi adimit. Jure Civili consensus patris reqviritur, qvamdiu liberi in ejus potestate sunt. *l. 2. l. 25. ff. d. Rit. Nupt. l. 1. C. eod.* Jure Saxonico inter patrem & matrem haud distinguitur, sed indistincte sub pœna nullitatis parentum consensu opus est. Vid. *Ord. Eccles. Sax. tit. gen.* Von Ehesachen / *spec.* Von Ehegelöbnüßen *pr.*

§. 17. Nec vero solus consensus parentum, ubi per leges Civiles reqviritur, sed & cætera solennia iisdem constituta diligenter observanda sunt; qvæ si qvis neglexerit, non habet, cur conqveratur, si deinceps matrimonium effectus justarum nuptiarum non habeat.

§. 18. Officium conjugum naturaliter ex eo-

ex eorum conventione definiendum est; cum mero Jure N. nihil hic sit præceptum, aut dispositum. In Civitatibus tamen, ubi maritus familiæ caput est, officium ejus in hoc præsertim vertitur, ut uxorem nutriat, atqve defendat; hæc vero honorem marito & adjutorium non solum in generanda educandaqve sobole, sed etiam in parte curarum domesticarum ferenda debet.

§. 19. Seqvitur altera societas, qvæ est inter *parentes & liberos.* Origo imperii paterni neqve immediate & per modum potestatis delegatæ a Deo, neqve a jure victoriæ, neqve a sola generatione, qvæ occasio potius, qvam justus imperii hujus titulus est, sed partim a tacito & præsumto pacto, partim vero inde, qvod educatio sobolis citra tale jus obtineri non possit, repetenda est.

§. 20. Exercet hanc potestatem naturaliter non minus mater, qvam pater. Neqve aliud Jus Civile disponit; qvippe qvod solos effectus Civiles, v. gr. usumfructum in bonis liberorum, similesqve illi ademit. Vid. *l. 6. C. d. bon. qvæ liber. §. 10. l. d. Adopt. l. 6. d. in jus voc.*

§. 21. Neqve vero secundum leges N. major

major est paterni imperii amplitudo, qvam qvæ ad finem hujus societatis & prolis educationem reqviritur. In statu Civili termini ejus pro diversitate Rerump. varie constituti sunt. Apud Romanos olim jus vitæ & necis complexum est; qvo postea ademto nonnisi moderata castigatio, & facultas terminandi lites domesticas relicta est. *l. 3. & 4. C. d. Patr. pot.*

§. 22. Exerit se patria potestas varie per tria ætatis liberorum tempora. Primum est judicii imperfecti, alterum judicii perfecti qvidem, sed ubi filius patriæ potestati subest; tertium, ubi e paterna familia excessit. In illo omnes liberorum actiones paternæ directioni subjacent; in isto ea tantum, qvæ ad familiæ statum aliqvid momenti habent; in hoc liberæ sunt omnes eorum actiones, salva tamen reverentia, qvam perpetuo parentibus debent.

§. 23. Circa acqvisitionem bonorum, durante patria potestate, nihil Jus N. definit; sed æqvitati tamen convenit, ut qvod filius-fam. ex re patris acqvirit, totum huic vindicetur; illis vero, qvæ aliunde eidem obveniunr, uti frui possit, salva filio proprietate.

Qvod

Qvod discrimen leges Civiles amplexæ sunt; dum inter peculium profectitium, & adventitium, castrense item & qvasi castrense distingvunt; & adventitium rursus vel regulare, vel irregulare faciunt. Qvæ distinctio sane mere civilis, non naturalis est; utut aliter sentire videatur *Pufendorf. Tr. d. l. N. & G. L. VI. C. II. §. 8.*

§. 24. Officium parentum in eo vertitur, ut liberos alant, & commode pro conditionis & facultatum suarum ratione educent. Unde fluit, Juri Naturali procurationem abortus, nec non expositionem, vel abjectionem infantum repugnare; cum utraqve finem hujus societatis impediat, aut tollat. Unde legibus Civilibus hujusmodi crimina gravibus pœnis coerceri solent. vid. *l. 38. §. 5. ff. d. pœn. l. 4. ff. d. Extraord. Crim. l. 8. ff. Ad L. Corn. d. sicar.*

§. 25. In adoptionem filium alteri dare, eoqve simul jus patriæ potestatis in eundem conferre, Jus N. non prohibet; cum hoc vitæ socialis indoli & saluti nihil qvicqvam repugnet; neqve hoc casu ipsum jus personæ patris naturalis cohærens, sed solum effectus ejus in patrem adoptivum transeat. Neqve vero

vero naturaliter ad adoptionem alia re, præter consensum, opus est. Jus Civile inter adoptionem stricte sic dictam, & arrogationem distingvit; ad illam Magistratus auctoritatem, ad hanc vero Principis Rescriptum insuper reqvirit. Præterea adoptionem in perfectam, qvæ ab aliqvo ascendentium fit, & patriam potestatem operatur, & imperfectam, qvæ fit ab extraneo, dividit. *l. 5. & pen. C. d. Adopt.*

§. 26. Succedit jam *Societas herilis*; qvæ est inter dominum & servum, cujus opera ille in obeundis ministeriis utitur. Hujus origo non ab ipsa natura immediate est; qvamvis hæc aliqvos ita finxerit, ut commodius ipsis fit, aliis servire, qvam proprio marte rem gerere; qvos *natura* servos appellant.

§. 27. Neqve magis ad Deum, tanqvam causam immediatam, herile imperium referendum est; cum Voluntas ejus nonnisi per modum concessionis, ut societas hæc constituatur, concurrat. Qvod & in cæteris imperii humani speciebus contingit.

§. 28. Manifestum vero est, facto institutoqve humano ad constituendam hanc societatem opus esse. Cujus causa ab indigentia,

gentia, velut ultima origine, repetenda est. Cum enim a primæva simplicitate homines post introducta rerum dominia recessissent, vitamqve solertius excolere cœpissent, factum est, ut tenuiores, habetioresqve locupletiorum familiis se addicerent, & sub lege præstandorum alimentorum iisdem perpetuo servirent.

§. 29. Qvanta vis imperii herilis in tales servos sit, ex fine hujus societatis liqvet. Nempe omnes operæ pro lubitu dominorum iisdem injungi, eorumqve socordia idoneis remediis coërceri potest; ita tamen, ut summi supplicii loco sit abdicatio, & expulsio e familia; qvæ etiam in delicto atroci in alium extra familiam commisso locum habet. In ipsum vero dominum, ejusqve familiam admissum ultimo supplicio, non qvidem virtute imperii herilis, sed jure belli vindicari potest.

§. 30. Neqve vero talis servus perpetuus alteri vendi invitus potest; cum in hunc, non in alium dominum, consenserit. Accedit, qvod alienandi facultas dominium stricte sic dictum supponere videatur, adeoqve in solis rebus proprie locum habeat. Unde merum Juris Civilis inventum est, qvod servi

pro

pro nullis, & mortuis habeantur, & nulla ipsis injuria fieri passim dicatur. §. *3. l. d. Injur. l. 32. ff. d. R. I.* Qvæ ad solos effectus Civiles restringenda sunt; cum nullum sit dubium, Jus Naturæ & Divinum positivum Universale in ipsis qvoqve violari posse. Add. §. *2. l. d. his, qvi sui vel al. jur. sunt.*

§. 31. Successit deinceps aliud servitutis genus, a Gentibus, deprehensa commoditate suos labores per alios expediendi, introductum, ut bello capti, qvibus vita esset donata, captoribus perpetuo cum prole sua servirent. Cujus servitutis initia valde dura erant, ira hostili nondum penitus extincta, sed subinde pristinorum incommodorum memoria redeunte.

§. 32. Manifestum vero est, & in hac servitute constituenda pactum intervenire; dum & victor capto vitam & libertatem corporalem sub conditione serviendi relinqvit, & hic in eandem consentit, vitæqve suæ conservationem qvalicunqve lege redimere cupit. Unde consequitur, eo ipso, qvod mutua utrinqve fides interceserit, omnem antegressam hostilitatem remissam censeri.

§. 33. Præterea patet, illos servos, qvi vincu-

vinculis & carceribus detinentur, ab his, qvi pacto dominis junguntur, multum differre. Illis enim nulla de parcendo fides data est, sed solum tantisper supplicium eorum differtur, arbitrio victoris exigendum, qvi vicissim si vel fugam capessant, vel domino violentas manus inferant, nihil in leges Naturales peccasse videntur, belli statu adhuc inter ipsos durante.

§. 34. Injuria etiam tali servo infertur a domino, si vel citra rationem durius eundem habeat, vel ea, qvæ necessaria ad victum sunt, haud suppeditet, vel in delinqventem gravius supplicium, qvam facinus meretur, statuat.

§. 35. Videndum jam, an eousqve vis imperii hujus se extendat, ut alienandi qvoqve facultatem complectatur. Ubi primo liqvet, illud non ab ultroneo consensu, sed vi & coactione cœpisse, adeoqve amplius longe esse, qvam in eum, qvi sponte perpetua alteri ministeria addixerit. Qvia tamen etiam domini adversus talem servum aliqva est obligatio, inde cum ipso non perinde atqve cum rebus, qvibus suo arbitrio uti, abutiqve licet, agi potest. Qvare nihil qvidem est, qvod trans-

lationem juris in eosdem competentis impediat; sed illud tamen temperamentum adhibere æqvitas & humanæ naturæ communio jubet, ne iis facile addicantur, qvorum sævitia etiam in immerentes grassatura est.

§. 36. Apud Romanos nova species servitutis cœpit, pœnæ loco constituta, ut liber homo, qvi ad pretium participandum sese venundari passus esset, in servitutem redigeretur. Indignus enim libertate videbatur, qvi ipse eandem dissimularet, ac emtorem lucri spe adductus defraudare vellet.

§. 37. Illud etiam liqvidum est, qvod omnia ea, qvæ in servitute acqviruntur, ad dominum pertineant. Qvi enim plenissimum jus in personam acqvirentem obtinet, non potest non idem in accessoria, & qvæ per eandem proveniunt, exercere. Freqvens tamen est, ut dominus servo certam bonorum partem assignet, eorumqve peculiarem administrationem eidem credat; qvod apud Rom. *peculium* servi dicebatur. Unde etiam ex contractu a servo celebrato dominus conveniebatur, qvatenus peculii vires paterentur.

§. 38. Qvemadmodum vero alia qvoqve jura patrumfamilias per leges civiles circum-

cumscripta sunt; ita & hujus potestatis herilis limites alibi laxiores, alibi angustiores deprehenduntur. Qvatenus vero nihil de ea lege Civili dispositum, illimitata & absoluta, prout extra civitates a patribusfamilias exerceri potuit, remansisse intelligitur. Apud Romanos certe sat duram servorum conditionem fuisse constat, adeo ut interfecto domino, ad supplicium raperentur, qvamvis necem ab ipsis admissam probari non posset. Qvæ licentia major erat, qvam per Jus Naturæ etiam absoluto imperio indulgetur. Vid. *tit. ff. d. SCto Silan.*

§. 39. De prole ex servo suscepta qværitur, an & illa promiscue servitio premi qveat? Ubi sane constat, prolem originarie matris esse, nec patri in eam jus aliqvod, nisi per pactum matrimoniale, qværi. Cujus ergo conditionis est mater, eandem fœtus etiam experietur. Accedit, qvod is pars viscerum maternorum sit, adeoqve tanqvam accessorium ventrem, seu corpus ancillæ sequi debeat, præsertim cum hæc per imprægnationem aliqvamdiu inhabilis ad præstanda servitia efficiatur. Neqve etiam alia ratio alendi ejusmodi prolem, nisi ex bonis herili-

bus. Unde æqvum est, ejus, a qvo alitur, & defenditur, ministeriis eandem addici, cum ille & vitam ejus, obtruncatis jure belli parentibus, adimere potuisset.

§. 40. Qvodsi fæmina libera conceperit partum, sed ancilla ediderit, simplissimum fuerit secundum Naturæ leges, hunc qvoqve pro servo haberi. Enimvero Jus Rom. qvod maxime libertati favet, satis esse vult, ad ingenuitatis jura partui concilianda, si mater vel unicum monentum sive tempore conceptionis, sive gestionis uteri, sive partus deniqve, libera fuerit. Ubi hanc adjicit rationem, qvod superveniens calamitas matris non debeat ei, qvi in ventre est, iniqvam sortem afferre. Vid. *pr. I. d. Ingen.*

§. 41. Cæterum facile ex dictis intelligitur, haud exigua esse servitutis incommoda, sed non tanta, ut summæ miseriæ loco haberi mereatur. Neqve enim aliud, nisi necessitatem perpetuas operas pro alimentis præstandi complectitur; qva in re, si citra dominorum qvorundam sævitiam atqve inhumanum rigorem spectetur, nimia acerbitas subesse non intelligitur; Maxima autem molestia in eo vertitur, qvod servi non solum gene-

generalibus, & lege publica definitis pœnis, sed etiam peculiaribus domini jussis, ejusqve coercitioni privatæ sunt obnoxii; nulla ipsis de se statuendi licentia relicta, qvod eo gravius ingenio humano accidere solet, qvo altius se efferre, atqve ad imperium magis aptum, qvam alios, habere solet.

§. 42. Finitur servitus voluntate domini per manumissionem, qvæ variis modis apud Rom. fieri solebat. Acqviritur autem plena per eandem libertas, ita ut naturaliter præter reverentiam & accepti beneficii memoriam nulla adversus pristinum dominum obligatio remaneat. Sed Jure Rom. salva sunt jura Patronatus, qvæ varios, eosqve insignes effectus producunt.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE ORIGINE CIVITATUM, EARUMQVE FORMA INTERNA.

§. I.

EXpositis societatibus simplicibus, nunc de *Civitate* agendum. Cujus genuina indo-

les ut recte appareat, ante omnia causa impulsiva, qvæ homines ad eandem constituendam movit, indaganda esse videtur.

§. 2. Ubi primo non est ferenda eorum opinio, qvi hominem *natura* ad societatem civilem rapi existimant. Qvamvis enim ad conjunctionem cum aliis proclivis sit, huic tamen desiderio, & inclinationi naturali etiam per societates primas satisfieri potest; adeoqve ut præcise in statu civili vitam agat, opushaud est.

§. 3. Imo si hominis naturam paulo curatius expendamus, eam a boni civis officio non parum alienam deprehendimus. Hic enim, exuta naturali libertate, ad alterius arbitrium vitam componit, eaqve agere paratus est, a qvibus alias valde abhorrebat, & vicissim illa omittere, qvæ vehementer appetebat. Contra homo per naturam est animal superbum, imperiiqve magis, qvam servitutis avidum, omniaqve ad proprium honorem & commodum referre solet; innumeris præterea affectibus & talibus vitiis obnoxius, qvæ tranqvillitati civili e diametro repugnant. Unde liqvet, hominem per ipsam naturam ζῶον πολιτικὸν haud esse.

§. 4. Ne-

§. 4. Neqve tamen imus inficias, hominem a natura aptum esse, ut, exerente se rectæ rationis usu, & accedente cultura disciplinaqve ad vitam civilem exigendam fingi, eoqve modo animal vere politicum reddi qveat.

§. 5. Neqve etiam sola *indigentia* causa impulsiva constituendæ civitatis fuit. Huic enim etiam inter patresfam. segreges, inventis præsertim commerciis, satis subveniri potuit; etsi fatendum sit, uberiorem omnium, qvæ ad vitam commode agendam pertinent, copiam in civitatibus dari.

§. 6. Illud etiam non satis congruum, qvod a nonnullis civitas *opus naturæ* vocatur, naturali ordine & consecutione productum. Neqve enim citra figuram hoc nomine appellatur, qvicqvid facto demum, institutoqve hominum provenit. Hos enim immediate per naturam in talem cœtum coaluisse, nemo sanus existimet.

§. 7. Qvocirca principem causam, qvæ homines in civitatem compulit, *metum* fuisse, putamus, seu diffidentiam, & suspicionem futuræ læsionis, utqve se adversus aliorum invasionem, & injurias idoneo præ-

sidio munirent. Neqve enim contra ea mala, qvæ ex pravitate humanæ indolis timenda sunt, efficacius, qvam ab ipso homine, remedium; comparatis ejusmodi auxiliis, qvæ alterius in alterum invasionem periculosam reddant, ut qvisqve satius putet, manus cohibere, qvam conserere.

§. 8. Neqve enim existimandum est, solam legem Naturæ pacem humani generis continere potuisse. Pleriqve enim mortalium, nisi præsenti qvodam malo ad hanc servandam adigantur, ea spreta, affectibus suis indulgent, de Divina vindicta, præsertim cum lento pede incedere soleat, parum soliciti, & spem securitatis, conservationisqve suæ in hoc sitam esse credunt, ut viribus artibusqve propriis proximum suum præoccupare possint. Nec tamen sola suspicio, ne alter adversus me amicitiam simulet, aut animum, qvo in præsens erga me est, inposterum mutet, justam causam eundem occupandi etiam in statu Naturali præbet. Qvod exemplo integrarum civitatum patet, qvæ invicem in tali statu hodienum vivunt. Ad præcavenda autem hæc mala, qvæ ab aliis metuenda sunt, nullum convenientius remedium,

medium, qvam viribus in unum conjunctis, a ratione inveniri potest.

§. 9. Manifestum vero est, qvod paucorum hominum consensio ad talem securitatem præstandam haudqvaqvam sufficiat; qvia paucitas facile contemni, & parti adversæ accessio unius alteriusve spem indubitatae victoriæ polliceri hoc modo poterat. Opus itaqve insigni multitudine fuit, qvæ in mutuam opem conspiraret, ne deinceps hostis ex paucorum hominum additione conspicuum ad victoriam momentum obtineret.

§. 10. Neqve etiam ex sola societate mutui auxilii securitas hæc speranda. Si enim qvisqve suo modo & arbitrio propriis viribus uti velit, nihil efficietur. Nam propter varias inclinationes, qvibus homines ducuntur, distracti sententiis impedimento invicem erunt, & simulatione atqve invidia, qvibus naturaliter inter se contendunt, ita divellentur, ut diuturnam inter se pacem alere, aut mutuam opem præstare nolint. Qvod secus in brutis nonnullis, v. gr. formicis, & apibus est, qvorum animalium regimen in sola consensione consistit; dum eadem cupiendo, & fugiendo actiones suas ad finem com-

munem dirigunt. Qvocirca in hominibus amplius qviddam reqvirebatur, ut, qvi semel in mutuum auxilium conspirassent, mutare deinceps animi sensa metu prohiberentur.

§. 11. Præter consensionem ergo etiam unio voluntatum ad hunc finem, pacem nempe, & defensionem communem necessaria est. Produci vero constans ejusmodi unio nullo modo potest, nisi unusqvisqve voluntatem suam unius hominis, vel concilii voluntati ita subjiciat, ut qvicqvid ille, vel illud circa eas res, qvæ ad bonum commune pertinent, voluerit, pro voluntate omnium agnoscendum sit. Voluntas autem concilii ea est, qvæ ex voluntate majoris partis hominum, qvibus illud absolvitur, resultat.

§. 12. Ubi manifestum est, ad hanc submissionem voluntatum unius hominis, vel Concilii volnntati faciendam, pacto opus esse, qvo qvisqve cæteris secum in unam civitatem coalituris se obstringit, qvod opibus, viribusqve suis ad illius arbitrium uti velit. Qvod cum omnes faciant, is, cui submittitur, tantas vires conseqvitur, ut earum robore suffultus singulorum voluntates ad pacem & concordiam metu obfirmare possit.

§. 13.

§. 13. Intelligitur autem hoc pactum iniri vel pure, vel sub conditione. Prius fit, cum qvis simpliciter in civitatem consentit, qvæcunqve demum imperandi forma pluribus arriserit. Posterius autem contingit, qvando qvis certam regiminis formam exprimit, sub cujus conditione cœtui adhærere cupiat. Notandum vero, qvod in primum hoc & principale pactum, qvod veluti rudimenta futuræ civitatis repræsentat, omnes consentire debeant. Nam qvi non consenserit, extra civitatem erit, neqve alio, qvam naturali vinculo, cæteris copulabitur. Unde adversus hunc non omnes leges silere, sed Civiles solum, existimandum est, cum lex Naturæ etiam in statu naturali vim suam exerat.

§. 14. Post memoratum pactum opus est, ut ii, qvi in unum cœtum conspirarunt, de certa regiminis forma decretum faciant. Illud autem ex voluntate plurium statuendum est, & cæteros, qvi pure & absolute cœtui se applicarunt, consentire oporter, etsi fortasse ipsis alius imperandi modus magis ad palatum sit. Qvia enim nihil in pacto exceperunt, plurium judicio se submisisse censentur; cum sane

sane postulare neqveant, ut plures ad pauciorum se voluntatem accommodent.

§. 15. Post decretum hoc circa regiminis formam alio insuper pacto opus est, qvo uni homini, vel concilio summa potestas committitur. In qvo pacto promissio ex una parte de cura publicæ salutis & tranqvillitatis gerenda, ex altera autem de obseqvio præstando inesse intelligitur. Qvale pactum non minus in democratia, qvam in cæteris Imperii formis subest, etsi in illa non adeo liqvido appareat.

§. 16. Nec vero est, cur aliqvi tale pactum inter Imperantes & Cives intercedere negent, sibiqve persvadeant, hos jam virtute primi pacti, qvo in civitatem consenserunt, ad obseqvium illis obligari. Sane enim fatendum, idqve in manifesta luce positum est, mutuam promissionem circa ea, qvæ antea indebita erant, præstanda subesse, qvoties is, vel illi eliguntur, penes qvem, vel qvos summa reip. esse debeat. Promissio autem hæc nihil aliud, qvam pactum est, idqve vel expressum, vel saltem tacitum.

§. 17. Illud autem probe cavendum est, ne vim hujus pacti ex virtute aliorum pactorum

ctorum metiamur. Hæc enim certas & definitas præstationes invicem a paciscentibus exhibendas complectuntur; in illo autem, ubi alter se imperio alterius subjicit, penes hunc est præscribere, qvid alter præstare debeat, eundemqve, si obseqvium detrectet, per vim & pœnas ad officium faciendum compellere. Ipse vero violati pacti reus non erit, nisi vel hostilem animum in civitatem suam induerit, vel a gubernaculis ejus, omni cura abjecta, discesserit. Utrum vero is secundum gubernandi regulas, qvas observari publice fortasse interest, agat, nec ne, penes cives judicandi facultas haud est; posteaqvam circa ea, qvæ ad pacem defensionemqve communem pertinent, omnem voluntatem suam ejus voluntati submiserunt; & qvia hoc admisso, civibus frænum mordere, vel penitus parendi necessitatem excutere, semper integrum foret.

§. 18. Ex hoc itaqve pacto, non autem, qvod *Hobbesius* vult, ex eo, qvod sine obedientia jus imperii frustra esset, origo summæ potestatis, & fundamentum obseqvii, qvod illi debetur, derivandum est. Imperantis enim potestatem, & civium officium sibi re-

bi respondere par est; adeoqve nihil ille jure imperare potest, qvod hi jure detrectare qveant. Imo, admisso hoc *Hobbesiano* principio, facile esset, qvævis jussa, hoc prætextu, qvod & alii exeqvi hæc possint, adeoqve Jus imperii frustra haud esset, declinare.

§. 19. Constituta hunc in modum civitas per modum unius personæ civilis concipitur, qvæ peculiares actiones exercet, & juribus qvoqve distinctis gaudet. Non tamen omnis persona Civilis statim est civitas. Possunt enim etiam plures cives coire, &, permittente civitate, certorum negotiorum causa in Collegium, qvod vulgo appellant, conspirare. Qvales personæ civiles, non autem civitates erunt; cum non simpliciter & indefinite se membra voluntati conventus, sed in certis tantum rebus subjecerint; adeoqve tales personæ civiles civitati subordinatæ esse intelliguntur.

§. 20. Unde jam sponte resultat Civitatis definitio, qvod sit persona una, cujus voluntas ex plurium hominum pactis unita pro voluntate ipsorum omnium habenda est, ut singulornm viribus & facultatibus ad pacem & defensionem communem uti possit. Ubi ille,

ille, vel Concilium illud, cujus Voluntati omnium voluntates subsunt, *summum Imperium* seu *dominium* habere dicitur. Cæteri *subditorum* appellatione veniunt.

§. 21. Sedulo autem inter illius hominis, qvi summam in civitate potestatem obtinet, voluntatem publicam & privatam distingvendum est. Illa voluntatem totius civitatis repræsentat, adeoqve, qvicqvid ille voluerit, id singuli voluisse censentur. Qvodsi tamen prava sit hæc imperantis voluntas, & a regulis virtutis atqve justitæ aberret, actionis inde natæ saltem in foro Divino nemo reus erit, nisi qvi positivo suo consensu ad illam concurrat. Qvia tamen hinc varia incommoda plerunmqve Civitati devoranda sunt, apud multas gentes invaluit, ut *leges fundamentales*, qvæ normam imperandi definiant, sanciantur. De privata autem Principis voluntate, qvia hæc nullum ad civitatem respectum habet, subditi nullo modo respondere tenentur.

§. 22. Cum summa reipublicæ non penes unum hominem, sed Concilium est, primo omnium definiendum, qvota pars conspirans voluntatem totius Civitatis repræsentare

tare debeat. Add. *c. 6. X. d. Elect. & elect. pot.* Qvodsi hoc determinatum haud sit, ex votorum pluralitate nogotia publica expedientur; nisi qvis fortasse ab initio statim, cum cœtui se adjungeret, hoc sibi expresse reservaverit, qvod nonnisi ad ea, in qvæ ipse consenserit, obobligari velit. Unde Concilia dantur, ubi cæterorum omnium decreta unius dissensus invalida reddit; qvo casu tamen is, qvi citra rationem contumax est, per vim ad consensum suum præstandum adigi, vel e societate plane ejici, & pœna mulctari posse videtur.

§. 23. Regulariter ergo in omnibus Conciliis plurium suffragia virtutem universorum habent. Qvod qvidem ex nullo præcepto Juris N. est, sed qvod commodior ratio communia negotia expediendi haud suppetat. Unde passim in Jure Rom. ad universos referri dicitur, qvod publice fit per majorem partem. *l. 19. ff. ad Municip. l. 160. §. 1. ff. d. R. I. l. 7. §. ult. l. 8. ff. d. Pact.* Qvamvis & hic æqvum sit, ut ponderentur prius, qvam numerentur sententiæ; qvod eum in modum facile prudentior aliqvis rationum pondere alios ad suam, eamqve magis proficuam, & decoram sententiam perducere possit; qvi tamen si rationem audi-

audire nolint, potiores judicandi sunt, & qvæ inde proveniunt, incommoda in eorum numero habenda, qvæ in vita humana omnino evitari haud possunt.

§. 24. Neqve etiam tali casu, ubi membra Concilii in suffragia eunt, absentium habetur ratio; modo convocati sint. Alias enim, qvia æqvali cum cæteris jure gaudent, se exclusos jure conqveruntur, neqve cæterorum decretis stare tenentur. Aliqvando tamen in negotiis expediendis, ut certa definitaqve Concilii pars præsens sit, requiritur; qvæ deinceps ex plurium suffragiis statuit. Sic in Syndico Universitatis eligendo duas ad minimum ejus partes præsentes esse Jure Rom. oportet. *l. 3. ff. Qvod cujusqve Univ.*

§. 25. Neqve vero hoc locum, nisi in illis solum negotiis, habet, qvæ publica sunt, seu pacem & defensionem communem respiciunt. Qvodsi tale negotium occurrat, qvod singulos immediate concernit, singulorum etiam consensu opus est, neqve plurium suffragia sufficiunt. Eumqve in modum capienda Juris Regula; *Qvod omnes tangit, ab omnibus approbari æqvum est.* Idqve non solum in integris civitatibus, sed etiam aliis uni-

versitatibus verum est. Qvamvis enim causa communis etiam singulos complectatur, hoc tamen nonnisi mediate, & demum per consequentiam fit. Unde in *l. 7. §. 1. ff. Qvod cujusqve nniv.* negatur, singulis deberi, qvod debetur universitati, & singulos debere, qvod universitas debet. Ex qvo fundamento etiam in foro cum universitatis causa ventilatur, qvædam ejus membra cum cautione rati pro cæteris haud admittuntur; cum alias Consortibus litis hoc leges indulgeant.

§. 26. Qvodsi plures extent, qvam duæ sententiæ, videndum, an plane sint inter se diversæ, an vero una partem alterius complectatur. Illo casu ea vincit, pro qva plura, qvam pro cæteris singulis, suffragia militant. Hoc vero casu sententiæ in eo, in qvo conveniunt, conjugendæ sunt. Add. *l. 27. ff. d. Recept. l. 38. §. 1. ff. d. Rejud.*

§. 27. Liqvet porro, ad tale concilium, ubi de communibus rebus deliberatio instituenda, tres minimum homines reqviri. Cum si duo tantum forent, eosqve dissentire contingeret, causa exitum habere non posset. Add. *c. 1. X. d. Arb. l. 85. ff. d. V. S.* Nihil vero impedit, qvo minus universitas simel recte constituta

tuta etiam in uno membro, reliqvis casu deficientibus, jura sua integra tantisper servare possit, donec in cæterorum locum alii sufficiantur. Qvem in sensum accipienda *l. s. ult. ff. Qvod cujusqve univ.*

§. 28. Ex indole pactorum, per qvæ civitas secundum ea, qvæ hactenus diximus, coaluit, illud qvoqve manifeste consequitur, non solum eos imperio Civili subesse, qvi primi coierunt, sed etiam eorum uxores, liberos, servosqve, qvorum voluntates Patrisfamilias voluntas jam dum complectitur; imo & sobolem ex ipsis deinde subnatam; cum illi non sibi solis, sed toti posteritati suæ prospicere voluisse censendi sint; unde ut ab hac peculiariter sibi obsequium imperans stipuletur, opus haud est.

§. 29. Qvia etiam ad pacem & tranqvillitatem civitatis multum facit, ut eo in loco, ubi civitas constituta est, nemo facile versetur, nisi qvi imperium ejus simul agnoscat, inde omnium civitatum hæc veluti communis lex esse intelligitur, ut qvi in civitatis alicujus ditione consederit, qvamdiu ibi moratur, ejusdem se imperio subjiciat; Qvod eo magis cum æqvitate congruit, qvod etiam

communi defensione, aliisqve commodis cum civibus fruatur. Unde si parere detrectet, e civitate jure expelli poterit.

§. 30. Sed videamus jam paulo curatius de peculiaribus corporibus civitati subordinatis, qvæ vulgo *Collegia* dicuntur. Hæc duum sunt generum, alia *publica*, alia *privata*. Illa auctoritate summi imperii, qvod in civitate viget, constituuntur; hæc autem vel privata civium conventione, vel extranei cujusdam auctoritate nituntur. Hæc sunt vel legitima, vel illegitima; Utraqve rursus vel regularia, qvæ voluntatem certis pactis unitam habent, vel irregularia, ubi citra constans vinculum, ex communi aliqvo affectu animorum qvædam conspiratio exorta est.

§. 31. Manifestum autem est, corpus tale legitimum nihil juris habere, qvod non a summa potestate profectum sit, eidemqve subjaceat. Nam si id egerit imperans, ut summum & independens jus circa certum negotium in illud conferret, jam non amplius integram Majestatem retinet, sed civitas irregularis & biceps inde emergit. Qvæ vero jura tali subordinatæ societati competant, ex confirmatione ab Imperante facta, literisqve, qvibus

qvibus fundamenta ejus continentur, dijudicandum est.

§. 32. Amplius adversus Concilii qvidem independentis decretum nemini civium agere, vel protestari, ut vulgo loqvuntur, licet; qvod eo ipso summa eidem potestas, & suo arbitrio decernendi facultas negetur; qvod contra in subordinata ejusmodi societate secus est; Cum enim hæc superiori subsit, ejusqve leges revereri teneatur, si qvid contra has Collegium egerit, licet dissentientibus protestatione se munire, eaqve dissensum suum aperte declarare; qvo casu illi soli, qvi consenserunt, pœna mulctari poterunt; cæteri ex eorum facto nullam obligationem contrahunt.

§. 33. Qvodsi debitum a toto corpore, vel ejus rectoribus secundum leges fundationis contractum sit, illud ex communibus bonis exsolvendum; qvæ si non sufficiant, in subsidium singuli pro rata tenentur. Sin contra legem fundationis contractum sit, illud solos consentientes onerabit; cæteros ob deficientem eorundem voluntatem neqvaqvam stringet; nisi fortasse aliqvod inde lucrum perceperint; hoc enim, ne cum damno aliorum

locupletiores fiant, iisdem merito extorqvetur.

§. 34. Collegia illegitima variorum sunt generum, qvæ præcipue ex fine & scopo dignoscuntur. Qvæ si vel maxime specioso prætextu aliqvando blandiantur, sedulo tamen Imperantibus præcavenda, & qvovis modo destruenda exstirpandaqve. Pœna autem, qvam illi, qvi in talem illegitimum cœtum coaluerunt, mereantur, in genere definiri non potest, sed pro gravitate delicti statuenda est.

§. 35. Solent etiam illi, qvi summa potestate gaudent, ex civibus aliqvos in partem curarum publicarum asciscere, eorumqve consilio, ministerioqve in administranda Rep. uti; ex qvo peculiare vinculum, qvo imperantibns hi adsttinguntur, nascitur. Sunt autem hi rursus diversi generis; dum alii propius, alii longius a munere rectorio absunt, alii ad ipsa Status, qvæ vocant, consilia admittuntur, alii solum executioni publicorum negotiorum inserviunt. Qvi omnes contradistingvuntur privatis Imperantium ministris, qvi eodem modo, qvo aliis, operam suam circa privata negotia iisdem locare solent.

CAPUT

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE ORIGINE ET PARTIBUS SUMMÆ POTESTATIS.

§. I.

Summa Potestas illa est, cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti non possint reddi.

§. 2. Circa originem ejus varie disceptatum est. Alii eandem ad Deum immediate, alii ad conventiones & pacta referunt. Et hi rursus duum sunt generum. Qvidam enim Voluntatem Divinam antecedenter se ad hæc pacta habere, qvidam vero eandem per modum approbationis superveniſſe volunt.

§. 3. Qvi primam sententiam propugnant, per electionem non tribui majestatem contendunt, sed solum designari personam, in qvam ea divinitus conferatur. Sed hi qvalitatem physicam cum morali aperte confundunt, neqve intelligunt, ex constitutione civitatis ipsum imperium sponte resultare; deniqve omnes conventiones inter Principem, ac subditos, legesqve fundamentales

subvertunt. Neqve vero huic sententiæ qvicqvam Sacra Scriptura favet. Hæc enim cum Imperii potestatisqve humanæ Deum auctorem constituit, de causa prima, atqve remota loqvitur; Vid. *Paul. ad Rom. XIII. 1. seq.* jung. *1. Petr. 2. v. 13.* Nobis de proxima, & immediata sermo est.

§. 4. Tertia opinio *Grotii* est, qvi homines non præcepto Dei, sed sponte adductos experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem civilem coiisse, idqve salubre institutum a Deo probatum esse, sentit. Enimvero cum homines post multiplicatum eorum genus intelligerent salvos se, citra societatem civilem institutam esse haud posse; utiqve Deum Imperium humanum non demum ex postfacto approbasse, sed velut antecedenter per ipsam rectam rationem præcepisse, liqvido apparet.

§. 5. Igitur secunda eaqve media sententia nobis probatur, qva Deum per ipsam Naturæ legem hominibus constitutionem summi Imperii injunxisse, proxime autem & immediate originem ejus a pactis, qvibus civitas coaluit, dependere, asseritur.

§. 6. Neqve enim qvisqvam facile ambi-

ambigat, homines ductu sanæ rationis animadvertisse, multiplicato genere humano, pacem & tranqvillitatem, nisi Civili societate, hoc est, summo imperio constituto, conservari haud posse. Qvo ipso etiam Imperium Civile a Deo, tanqvam legis N. auctore, profectum esse intelligitur.

§. 7. Unde porro liqvet, in iis, qvi in unam civitatem coalituri sunt, singulis velut dispersa latere semina summi imperii, qvæ deinceps per pacta combinantia germinant & excitantur. Sic ut proxime ab his pactis origo repetenda sit, neqve dissentientes distinctione inter *causam efficientem immediatam*, & *modum constituendi immediatum*, inter majestatem *abstractive*, & *concretive* acceptam qvicqvam juventur.

§. 8. Seqvitur, ut partes summi imperii breviter videamus. Illæ autem ex fine civitatis, qvi securitas est, facile intelliguntur. Ad hunc enim obtinendum summa potestas Civilis per varios se actus exerit, mediisqve diversis utitur; unde plures facultates, qvæ ad analogiam partium potentialium concipiuntur, habere dicitur.

§. 9. Prima est *potestas legislatoria.*

Qvia enim cives unius vel hominis, vel curiæ voluntari se subjecerunt, necessum est, hæc illis per liqvida signa aperiatur; hoc est, ut regulæ generales, & velut mensuræ præscribantur, secundum qvas actiones suas metiri debeant, &, qvid pro suo, & alieno, honesto & inhonesto, bono & malo habendum sit, intelligant; eoqve ipso controversiæ, qvæ ex memoratis fontibus oriri solent, qvantum fieri potest, præcaveantur.

§. 10. Altera pars Majestatis est *facultas infligendi pœnas*; qvæ eo ipso data esse intelligitur, dum singuli, qvi in civitatem coeunt, uni homini, vel concilio usum suarum virium submittunt. Eum enim in modum imperans, dum saltem plerorumqve viribus nititur, facile reluctantes coërcere, aversosqve, ut intra officii sui limites redeant, compellere potest.

§. 11. Pertinet huc etiam *potestas judiciaria*, vi cujus Imperans vel ipse, vel per alios lites inter subditos enatas cognoscit, easdemqve dirimit. Ad qvam etiam refertur facultas de recto usu summæ potestatis judicandi. Judicium enim hoc omne penes Majestatem in Civitate est.

§. 12.

§. 12. Nec minus Imperans *Jure belli & pacis* gaudet; cujus summa huc redit, qvod habeat jus armandi, congregandi, & uniendi in omni periculo tot cives, qvot opus videbitur ad hostes depellendos, & discrimen avertendum. Ex qva unione sola tota vis & robur civitatis dependet. Cum vero interdum validior hostis sit, qvam ut civitas suis tantum subnixa viribus impetum ejus reprimere, aut sustinere qveat, inde huic juri belli succenturiari intelligitur facultas fœdera, qvæ totam Civitatem abstringant, sive communis securitatis, sive commerciorum causa ineundi.

§. 13. Præterea cum civitatis negotia citra *Ministros* & *Magistratus* expediri non possit, hos eligendi, ab iisqve gestorum rationes poscendi jus penes eum erit, qvi summo imperio in civitate gaudet.

§. 14. Qvia etiam citra *sumtus* communis defensio, & securitas obtineri neqvit, idem ad hos tolerandos jus habet, civibus, ut partem bonorum conferant, imperandi, modosqve, qvibus id commodissime fieri possit, definiendi.

§. 15. Illud qvoqve in aprico est, Imperantem vi summæ, qvam obtinet, potestatis

ſtatis doctrinas, qvæ civitatem perturbare, & pacem publicam convellere aptæ ſunt, proſcribere, &, ſaltem ne doceantur, aliisqve publice proponantur, jure prohibere poſſe. Pacis enim cumprimis intereſt, ut nullæ opiniones invaleſcant, niſi qvæ fini civitatis, & ejus tranqvillitati congruant.

§. 16. Ex hactenus dictis liqvet, civitatis proprie dictæ naturam in unione ſub uno ſummo Imperio conſiſtere. Dividitur in *Simplicem*, & *Compoſitam*. Illa nonniſi una eſt, hæc ex pluribus perfectis Civitatibus in unum veluti Syſtema conbinata.

§. 17. Primo de *ſimplici* dicendum. Cujus tres ſunt ſpecies proprie tales, qvæ ex diverſitate ſubjecti, in qvo ſummum Imperium exiſtit, emergunt. Intelligitur autem hic ſubjectum non *Commune*, utpote qvod ſemper unum idemqve, tota nempe Civitas eſt, ſed *proprium*. Hoc autem vel eſt *unus* homo, & talis Reſp. vocatur *Monarchia*, vel *Concilium*, idqve rurſus vel omnium Civium, ita ut ſinguli jure ſuffragii gaudeant, & appellatur *Democratia*, vel certæ tantum partis, & *Ariſtocratia* audit.

§. 18. Singulæ hæ reſp. rurſus ſunt vel

vel *Sanæ* vel *Morbidæ*. Monarchia dicitur sana esse, cum Rex pro eo, ac par est, ad salutem Civitatis omnia refert, neqve publicas pecunias & reditus per luxum, aut inconsultas largitiones dispensat, cum præstantibus viris, & supra cæteros virtute eminentibus præcipua officia committit, deniqve paci ac tranqvillitati communi omnibus modis studet, cives contra jussa ejus promte & fideliter exeqvuntur.

§. 19. Optimatum Resp. bene habet, cum ad eorum Concilium non opibus, aut necessitudini sangvinis, sed meritis, ac rerum agendarum dexteritati via patet, cum senatores non factionibus, aut privati commodi studio distracti, sed junctis viribus ad publicam utilitatem incumbunt, subjectos etiam sibi obnoxios & ad obseqvia paratos habent.

§. 20. Deniqve popularem Remp. felicem censeas, ubi cives in pari omnium libertate qviete agunt, & citra tumultum suffragia pacate ferunt, ubi citra æmulationem, & privatæ utilitatis respectum salubribus consiliis locus est, & ad magistratum illi soli admittuntur, qvi aliis virtute, integritate, prudentia, ingeniiqve lumine antistant.

§. 21.

§. 21. Qvæ aliter comparatæ sunt civitates, *morbo*, eoqve vel graviori, vel leviori laborare intelliguntur. Morbi autem illi & vitia vel *hominum*, vel *status* dicuntur esse; prout vel ex pravitate hominum, qvi imperio præsunt, aut subsunt, vel ex ipsius civitatis mala dispositione oriuntur; puta cum leges & instituta non ad genium populi accommodata sunt; aut turbis intestinis, vel odio vicinorum facilem occasionem præbent.

§. 22. Sicuti vero morbus, & recta hominis valetudo speciem ejus non variant; ita nec Rebusp. sanis integrisqve, morbidæ & vitiosæ tanqvam species peculiares opponendæ sunt. Qvia per ejusmodi vitia nec potestas ipsa, nec subjectum ejus proprium variatnr.

§. 23. Ex qvo manifestum est, *Tyrannidem*, *Oligarchiam*, & *Anarchiam* a memoratis Rebusp. specie haud differre; secus atqve vulgo Politicorum libelli volunt. Imo sæpe Resp. talibus elogiis nonnisi ab invidis ac pravis hominibus mactantur, qvi vel Imperantium personas, vel præsentem Civitatis statum fastidiunt; etsi forte justam, cur conqverantur, & frænum mordere audeant, causam non habeant. Aliqvando tamen non immerito

rito invidiosa ista vocabula ad significandum pravi regiminis a recto discrimen adhiberi, in aprico est.

§. 24. Enimvero experientia docet, non omnes Rerump. formas, qvæ vel olim fuerunt, vel hodienum dantur, ad memoratas Resp. sanas referri, neqve tamen etiam per nudam παρέκβασιν & morbum explicari, pro systemate vero plurium perfectarum civitatum nullo modo haberi posse. Circa qvarum & naturam & appellationem magna inter eruditos contentio.

§. 25. Qva in re ut solidum judicium ferri possit, ex superioribus repetendum est, civitatem proprie nonnisi eam esse, qvæ vinculo unius imperii cohæreat, cujusqve voluntas & vires omnes unitæ sunt, hoc est, in unum vel hominem, vel concilium collatæ. Qvo præstructo, qvod nemo nisi civilis scientiæ rudissimus neget, sponte & necessario conseqvitur, ubi ejusmodi forma non apparet, ibi nec civitatem proprie esse, qvacunqve demum appellatione veniat. Unde si nihilosecius Civitas dicatur, nonnisi improprie hoc fieri, & hinc eandem *irregularem* commode vocari posse, nemo cordatus abnuat.

CAPUT

Caput Vigesimum.

De Rebusp. Mixtis.

§. I.

Præterea qvid de *Mixtis* Rebusp. pro qvibus vulgo, tanqvam pro aris & focis pugnant, sentiendum sit, haud obscure ex illis, qvæ hactenus exposita sunt, colligitur. Illæ enim, nisi qvatenus ab irregularibus solo vocabulo differunt, merum figmentum sunt, nullo veræ Politicæ fundamento suffultum.

§. 2. Faciunt autem duos cumprimis miscendi modos. Unus est, qvando partes summi imperii, qvod etiam *Majestas* dici consvevit, divisim & independenter est penes diversas personas, & membra ejusdem Reip. ita ut singula eas partes. qvas obtinent, suo arbitrio administrent, & de illis ex proprio judicio statuant, nemini ad rationes de illis reddendas obstricta, qvoad cæteras vero pro subditis habeantur.

§. 3. Enimvero talem mixturam in vita Civili locum habere non posse, facile intellectu est. Qvi enim partem summi imperii

rii jure proprio & independenter habet, debet etiam viribus instructus esse, qvibus cives ad ea, qvæ virtute illius partis imperat, observanda compellere qveat; citra qvam cogendi facultatem nulla potestas summa, ejusve pars intelligitur. Unde fluit, tam arcto vinculo partes summi Imperii cohærere, ut in civitate regulari & proprie sic dicta dividi, & a se invicem avelli neqveant; non magis sane, qvam ejusdem animæ rationalis partes potentiales, intellectus, & voluntas, separatim in diversis suppositis esse possunt. Qvodsi autem hoc alicubi contingere videatur, & partes summæ potestatis diversis subjectis radicaliter & independenter inhæreant, irregulare corpus emerget, qvod non vinculo unius imperii, sed pacto duntaxat continetur; & propter hanc causam sat debile, & internis convulsionibus obnoxium erit. Violator enim talis pacti, qvamvis in leges Naturales peccet, in ordinem tamen alia via, qvam per bellicam violentiam, qvæ cum multis molestiis, & ancipiti alea conjuncta est, redigi neqvit. Qvod in illis, qvi eodem imperio continentur, longe secus est.

§. 4. Alterum mixtionis modum in eo

volunt consistere, qvod summum imperium sit qvidem penes uno plures, ita tamen, ut neqve pleriqve sine paucorum, neqve omnes cæteri sine unius consensu aliqvid efficaciter statuere, & potestatem summam exercere possint. Qvod iterum dupliciter contingat; vel ut omnes æqvales sint, vel ut uni alterive eximia qvædam jura, de qvibus proprio ex judicio statuere qveat, competant.

§. 5. Nec vero hoc casu magis, qvam priori illo, vera mixtio Rerump. contingit. Qvodsi enim illi plures, penes qvos summum imperium indivisim est, senatum perpetuum constituant, erit simplex Resp. nempe Aristocratia; hoc tamen vitio & veluti morbo status laborans, qvod unus paucive reluctantes dissensu suo cæterorum placita cum insigni civitatis incommodo irrita reddere possint. Sin vero singulæ partes integrantes Reip. ad singulos istos, cæteroqvi pari jure gaudentes, peculiariter pertineant, exercitium vero actuum summi Imperii ab omnium unanimi consensu dependeat, erit proprie dictum Systema, sed & ipsum ad negotia expedienda non satis habile. Verum si unus præ cæteris auctoritate emineat, & qvasdam summi imperii particulas solus

solus exercere possit, emerget irregularis Resp. qvæ inter Monarchiam, & Systema plurium Civitatum velut interjecta est.

§. 6. Notandum vero, irregulares Resp. & παρεκβάσεις ac morbos earundem in eo differre, qvod morbus semper tanqvam pravum qvid, & citra eorum, qvi civitatem constituerunt, intentionem proveniens appareat; qvippe qvi ex male concinnis legibus, aut prava administratione dependet; irregularitas autem ipsam formam intrinsece afficiat, & velut legitime sancita palam se, & citra verecundiam ostendere videatur; eorumqve, ex qvibus civitas componitur, voluntate, ac approbatione vel emerserit, vel approbata sit.

§. 7. Unde liqvet, duplicem esse irregularium Rerump. originem. Vel enim ab initio statim, cum plures in unum cœtum se congregarunt, eum in modum ordinatæ ac constitutæ sunt, inscitia nempe aut præcipitantia conditorum; vel ex postfacto temporis lapsu, & tacitis veluti momentis irrepserunt. Exempli causa, si Monarchia forte procerum mole laborare incipiat; isqve morbus per socordem facilitatem Regis sensim latius serpat, altasqve radices agat, donec eo tandem Optimatum

matum potentia provehatur, ut qvia sine magno periculo enervari, & expelli amplius neqvit, publica sanctione confirmetur, &, qvod ante usurpatio, & malæ fidei possessio, nunc jus & privilegium appelletur; præsertim si proceres partes integrantes Reip. proprio jure possidere incipiant. Ubi nihil impedit, qvo minus illius, qvi olim jure Regio imperium obtinuerat, auctoritatem cæteri velut inæqvales fœderati comiter observent, penes eum nomen Majestatis, & externus splendor, solemniaqve, formulæ etiam & ritus veteres in homagio ipsi præstando perdurent; nec minus controversiæ apud illum, qvi superior est in fœdere, disceptentur.

§. 8. Multa eqvidem sunt, qvæ contra hanc de irregularibus Rebusp. philosophiam vulgo urgeri solent. Sed cum ad ea jam copiose a *Pufendorfio* responsum sit, cramben illam recoqvere non libet. Sed operæ pretium fuerit, ea, qvæ ab Excellenti qvodam Ingenio, & usu negotiorum, rerumqve Civilium scientia instructissimo in *Comment. Acad. ad Sever. de Monzamb.* in contrarium adducta sunt, neqve hactenus, qvod ego sciam, a qvoqvam discussa, breviter videre.

§. 9. Ab

§. 9. Ab initio monet, *non defuisse*, qvi *qværendum existimaverint, qvis homini politico auctoritatem concedere possit statuendæ regulæ in exanimandis Rerump. formis hoc effectu, ut, qvæcunqve isti non respondeant, inter irregularia corpora & monstra civitatum illico detruderentur.* Qvod perinde est, ac si qvis in rebus Naturalibus Physico occinat, temere ab ipso belluas ab animalium rationalium censu excludi, qvod ipse potestatem non habeat statuendi regulam, juxta qvam rationalitas metienda sit. Res Civiles non minus, ac Naturales definitam formam ac naturam habent, qvæ cumprimis ex pactorum diversa indole resultat. Neqve enim Politici in explicanda Civili scientia deterioris conditionis esse debent, qvam omnes artifices, qvibus facultatem propriis & peculiaribus vocabulis utendi nemo hactenus in dubium vocavit. Cum ergo in eo omnes consentiant, civitatem esse cœtum, qvi vinculo unius imperii continetur, cuivis sanæ mentis integrum est, hinc colligere regulam, qvod cuicunqve cœtui hæc definitio non qvadrat, ille nec civitas proprie sit; qvi si hunc titulum pertinaciter affectet, non commodiori vocabulo, qvam

irregularis civitatis, cum a regula, hoc est, definitione civitatis deflectat, appellari videtur posse. Unde irregularis Resp. & Civitas improprie talis nobis unum idemqve significant.

§. 10. Illa recte habent, *regulare & irregulare aliqvid dici non in se, absolute, sed respectu regulæ, ad qvam exigatur, ita ut qvicqvid cum ista congruat, regulare, qvicqvid ab ea discrepet, irregulare dicendum sit.* Regula vero hic alia nulla statuitur, qvam communis definitio Civitatis, cujus alia dari neqvit. Qvod vero subjicit, *regulam hanc non posse definiri secundum conceptum aliqvem generalem scientiæ civilis, sed ad usum vitæ respiciendum esse*, falsum est. Neqve enim in rebus Civilibus definiendis ad usum & consvetudinem gentium nonnullarum, sed ad id, qvod indoli earum, & tranqvillitati Civitatis maxime accommodatum est, respiciendum.

§. 11. Nemo vero, nisi rerum civilium planeignarus inficias eat, vinculum imperii, qvo civitas regularis cohæret, longe fortius stringere, qvam vinculum nudi pacti, qvod solum in qvavis irregulari subest. In ea enim Rep. qvæ per modum imperii cohæret, omnibus,

bus, qvi præscripta obire neglexerint, præsens aliqvod malum inferri potest; cujus metu officii sui limites diligentius custodiunt, nec tam facile affectibus, qvi ingenia humana agitare solent, indulgent. Ast ubi homines solo pacto continentur, ex lege Naturæ qvidem ad id, qvod pacto conventum est, præstandum obligari sunt, sed ubi qvis a pacto resilierit, nulla eum coercendi via, qvam per vim bellicam, qva ille non minus sæpe pollet, qvam is, cui injuriam fecit.

§. 12. Unde dubito, an politici magno applausu excepturi sint illas, qvas subjicit, definitiones, cum Resp. regulares vocat, *qvæ soleant ac possint secundum rationem administrationis publicæ inter gentes humanas ut plurimum contingere*; *irregulares autem, qvæ ab his, qvibus gentes in civilem societatem concinnatæ utuntur, penitus abhorreant.* Ex qvo colligit, *sudandum esse, ut e censu regularium Rerump. mixtæ tollantur, qvarum fortassis in ipso rerum usu actuqve plura, ac simplicium, occurrant exempla.* Enimvero non existimem, Remp. propterea qvod actu datur, ejusqve inter gentes exempla extant, regularis civitatis titulum magnopere mereri; nisi etiam vitia,

& morbos, eos præsertim, qvi ex prava status dispositione dependent, eodem elogio mactare velis; qvia illorum tam uber in plerisqve civitatibus seges deprehenditur, ut pauciſſimis laborare, perfectionis loco haberi, & inter præcipuas felicitatis partes numerari soleat. Non ergo regulam ex eo, qvo gentes utuntur, sed qvo ipsas uti salubrius, & ad pacem defensionemqve communem procurandam expeditius esse solet, desumi, sana utiqve ratio dictitat.

§. 13. Pergit deinde: *Concederemus licet, freqventiores esse Resp. simplices, qvam mixtas, freqventia tamen illa in vim regulæ evalescere non potest, singulas gentes obligaturæ, ut sua qvoqve imperia eidem conforment.* Qvod facile qvivis largiatur, non posse gentibus aliqvam obligationem impingi, ut secundum scientiæ civilis regulas instituta sua solicite instruant; cum obligatio nisi a superiori, qva tali, haud proficiscatur; unde nemo sanus talem cœtum, ubi alia, qvam regularis Resp. viget, propter hanc causam, violati officii, & Juris Naturalis reum egerit; præsertim cum irregularis Resp. non statim vitiosa sit; etsi nec aliis

aliis, regularem formam servantibus, majorem felicitatem invidere debeat.

§. 14. Neqve vero metuendum, ne tale Corpus *irregularis Reip.* nomen ægre ferat, aut injuriarum magnopere actura sit; cum ea vox nihil aliud significet, qvam a natura civitatis simplicis proprie sic dictæ discessum, qvi tamen per nudam παρέκβασιν & morbum explicari commode non possit. Qvodsi tamen aliqvis hoc qvicqvid est nominis fastidiat, integrum illi est, ejus loco delicatas sibi aures superba qvadam periphrasi demulcere, modo per eandem rem ipsam, civitatem nempe improprie sic dictam, exprimat. Imo si qvis tantam constantiæ laudem affectet, ut ab appellatione *mixtæ* Reip., cui a puero assvevit, abstinere sibi pudendum judicet, facile permittemus, hanc qvoqve inter antiqvæ philosophiæ cimmelia custodiri, si modo per mixtam Remp. eam intelligat, ubi actiones ad communem pacem & salutem pertinentes non ab una veluti anima proveniunt, neqve summum imperium penes unum vel hominem, vel concilium existit; Ea enim nobis Resp. irregularis audit. Nam circa vocabula, cum in re ipsa consensusadest, anxie philoso-

phari, puerile est. At enim eum in modum, qvem vulgo describunt, *mixtas* Resp. dari, ubi partes summi imperii divisæ in pluribus subjectis sedem veluti independenter fixerint, nemo nobis facile persvadeat.

§. 15. Ostendere deinceps uberius conatur, normam certam regularium civitatum statui non posse, qvod talis regula nonnisi in rebus naturalibus valeat, *qvorum principia ad necessarium naturæ ductum adstringantur;* cum ex adverso *moralium productio a libero voluntatis humanæ placito dependeat.* Ubi nescio, an voluntas humana entium moralium originem exhauriat; qvorum maxima pars a lumine Naturæ, & Divina Voluntate dependet. Sed nullum hic subesse nexum, in aprico est. Neqve enim ex eo, qvod libero hominum instituto Civitates exortæ sunt, statim ejusdem generis fiunt; nec una firmiori vinculo, qvam altera, cohæret. Qvemadmodum apud JCtos Romanos non desinunt propterea Contractus vel regulares, vel irregulares esse, qvod utriqve inventum legum Romanarum sunt.

§. 16. Illa, qvæ subseqvuntur: *Sicut Voluntas hominis Remp. instituentis, mirifice inclina-*

clinari, flecti, variari potest; ita etiam civitatum habitudines, quæ ex diversitate subjecti, cui summa Civilis potestas accidentaliter inhæret, resultare solent, admirabili & pene incredibili varietate per pacta & conventiones coeuntium, adornari posse disponique, donec in corporis politici compagem, speciemque Reip. evalescant, recte habent, modo illam diversitatem subjecti, quod rerum potitur, ita restringas, ut illud vel unus homo, vel unum Concilium sit, idque vel omnium civium, vel tantum partis eorum. Unde ista *admirabilis & pene incredibilis varietas* nonnisi circa modum administrandi imperium in Civitatibus proprie talibus occurrere potest. Sin autem ipsa Reip. forma intrinsece afficiatur, aliamque & a tribus illis simplicibus diversam faciem habeat, nihil reliquum est, quam ut talem civitatem irregularem dicas. Cujusmodi Rerump. ob magnam earum varietatem, quæ vel re ipsa occurrit, vel animo concipi potest, certus numerus iniri neqvit.

§. 17. Amplius contendit *Ille*, si qva detur regula, qvam humana voluntas amplecti & observare cogatur, eam fore *jus & prudentiam*, sive *honestatem naturalem*, & *utilitatem*

tatem civilem. Ex qvo rursus novas Rerump. *regularium*, & *irregularium* definitiones constituit; & illas vocat, *qvarum instituta cum principiis justi & honesti congruunt, ac nihil, qvod legibus Divinis contrarietur, continent, qvæqve ingenio, moribus, & naturæ populi, cui destinantur, insuper sunt accommodata. Irregulares* autem dicit, *in qvibus alterutrum horum, vel utrumqve deficiat.* At enim hæ definitiones sententiæ nostræ neqvicqvam opponuntur. Non enim absurdum est, Remp. in nostro sensu irregularem, eo respectu etiam regularem vocari posse, qvatenus nihil, qvod legibus naturalibus ac Divinis repugnet, complectitur. Sicuti ex adverso ea Resp. cujus leges & instituta non sunt ad genium populi accommodata, propterea non irregularis statim evadit; sed tale status vitium, qvod vocant, etiam Civitati regulari, salva ejus natura ac forma, adhærere potest. Porro qvamvis illis, qvi in unam civitatem coalituri sunt, nulla regula per modum præcepti observanda sit, præter eam, qvam actionibus humanis recta ratio ex insita Voluntate Divina præscribit; si tamen civitatem proprie talem, hoc est, vinculo unius Imperii cohærentem

rentem producere velint, uni etiam subjecto summam potestatem committant necessum est; sin regularis hæc forma conditoribus propter eorum insciti am haud arriserit, vel res præsentes de statu rite concinnando cogitationem seriam suscipere non permittant, haud iniqve deinceps patientur, ubi in corpus valde irregulare ipsos coaluisse intellexerint. Etsi freqventius eveniat, ut in civitatem a pristina forma deflectentem sensim & successu temporis per imperantium socordiam, aut alia occasione, talis forma irrepat.

§. 18. Præterea *Ille* urget, ea, qvæ regularem Remp. absolvant, *unionem* nempe *sub uno imperio summo*, etiam in *mixta* Rep. inveniri, *in qva omnino cives vinculo summi imperii, tanqvam membra unius Reip. uniantur, ita, ut imperium illud indivisum & inconvulsum sit in subjecto suo communi vel essentiali.* De qvo ut recte judicari possit, monendum, formam Reip. peculiarem non a subjecto communi, utpote qvod semper idem, qvælibet nimirum civitas est, sed ex subjecto proprio, in qvo imperium summum radicaliter hæret, resultare. Subjectum vero hoc nonnisi unus homo, vel concilium esse potest. Partes enim

nim summi imperii ita invicem velut implexæ, arctissimoqve nexu unitæ intelliguntur, ut neutra sine altera independenter in eodem subjecto hærere qveat.

§. 19. Hoc enim fieri posse, si qvis persvadere sibi velit, necessum est, illud qvoqve, ut supra jam tetigimus, admittat, ut is, qvi independenter & divisim aliqvam summi imperii partem obtinet, sit etiam instructus potestate compellendi cives ad ea, qvæ virtute istius partis vult, observanda, & jus suum, etiam cum penes alterum jus belli est, contra invasores & turbatores defendendi, deniqve ut suo jure, & proprio ex judicio definire qveat, qvo tempore illa Imperii pars exerceri debeat. Primum enim ubi deest, remanebit nuda facultas indicandi aliis, qvid fieri optes; qvæ qvovis potius alio nomine, qvam partis summi imperii, appellari meretur. Alterum, potestas nempe jus suum defendendi, cum deficit, parum hoc supra precarii titulum assurget; & qvi illud alieno ex arbitrio exercet, minister & executor duntaxat alterius esse videtur.

§. 20. Ex qvo sane liqvido apparet, divisionem ejusmodi partium summi imperii esse

esse impossibilem. Concipiamus enim exempli causa Remp. ubi arbitrium belli & pacis penes *Regem* sit, judicia, & vis punitiva apud *Optimates*, ærarii deniqve summa cura, & pecuniarum contributio penes *populum*. Hæc foret talis, qvam vulgo fingunt, *Resp. mixta*. Sed qvis non videt, hoc modo naturam summi Imperii, simulqve formam civitatis regularem corrumpi, & plane destrui. Inane enim arbitrium Regis circa bellum & pacem est, si reluctantes ad jussa facienda compellere non possit. Nec minus vis illa punitiva Magnatum in nihilum recidet, si leges Civibus præscribere non possint; Sic enim nudorum ministrorum, executorumqve partes obeunt. Pari modo manifestum est, hanc coercendi vim a potestate legislatoria divelli non posse. Illæ enim regulæ qvidvis potius, qvam leges sunt, ad qvas observandas alios compellere neqveas. Nec etiam contributio seu jus indicendi tributa abesse potest. Valde enim miserum & infirmum illud jus armorum fuerit, cujus nervus ex alieno arbitrio dependet. Amplius facultas constituendi Magistratus inde separari neqvit; cum jus alicui radicaliter & independenter datum esse intelligi non possit,

sit, nisi eos, per qvos idem exercet, rationem poscendi potestatem habeat. Deniqve & doctrinarum, qvæ pacem communem convellere aptæ, examen alii independenter concedi neqvit. Qvem nexum acute *Hobbesius* demonstrat. Si enim, inqvit, unus imperet aliqvid facere sub pœna mortis naturalis, alius vetet sub pœna mortis æternæ, uterqve jure; seqvetur, non tantum cives, etsi innocentes, puniri jure posse, sed penitus dissolvi civitatem. Neqve enim servire qvisqvam duobus dominis potest, neqve is, cui obediendum esse credimus metu damnationis, minus dominus est, qvam is, cui obeditur metu mortis temporalis. Doctrinarum ergo judicium, utrum Civili obedientiæ repugnent, nec ne, & si repugnent, potestas prohibendi, ne doceantur, cæteris imperii Civilis partibus indivulso nexu cohæret.

§. 21. Ex dictis manifeste fluit, divisis summi imperii partibus, idem plane destrui, adeoqve *unionem sub uno imperio*, hoc est, Civitatem proprie talem, amplius non dari; sed male firmo duntaxat pacto tale corpus cohærere. Nec est, qvod *ille* urgeat, etiam Remp. mixtam ab una veluti anima regi; qvod

qvod *non aliter Majestas cum anima comparari possit, qvam qvatenus toti cœtui, juris fruendi causa communi imperio sociato, hoc est, civitati ut forma essentialis, insit.* Comparatio enim Majestatis cum anima in hoc potissimum veritur, qvod utraqve suas partes potentiales habet. Illa jura, qvæ *Majestatica* vulgus appellare solet, hæc intellectum & voluntatem. Sicuti ergo absurdum fuerit, voluntatem ab intellectu avelli, & utriqve peculiare subjectum, in qvo proprie sedeat, assignari; ita nec summi Imperii partes ullam divisionem recipiunt. Commune enim illud & generale subjectum, corpus videlicet humanum, & civitas non sufficiunt. Qvemadmodum monstrum hominis esse oportet, qvi totam qvidem animam in suo corpore, sed intellectum v. gr. in calcaneo, voluntatem vero in sinistro cordis ventriculo gerere dicatur.

§. 22. Hic *ille* regerit, *si ad numerum imperantium qvæqve velis extendere, seqveretur, toties Civitatem desinere esse, vel mutari essentialiter, qvoties ex una forma accidentali devolveretur ad aliam, non minus ac sublata anima rationali, homo periret; qvod ab omni veritate longe sit alienissimum.* Imo vero, sub-

lato summo imperio, etiam civitas plane perit, & in cœtum dissolutum abit; perinde atqve, anima amissa, homo destruitur. Sicuti autem secundum vulgatum omne simile claudicat; ita hic illud discriminis intercedit, qvod anima non solum subjectum commune, sed etiam proprium, qvamvis de hoc obscura adhuc sit disceptatio, semper idem habeat, neqve in corpore humano prolixa itinera instituere, & ex una parte in aliam sedem suam transferre soleat; Cum ex adverso in civitate variis conversionibus obnoxia summum imperium, qvod hactenus per modum electionis penes unum hominem fuit, post hujus mortem, aut alio fatali casu in curiam optimatum transferri, & ex hac nova rerum mutatione ad populum redire qveat. Cujus rei luculentum exemplum in Rep. Romana extat.

§. 23. Pergit deinceps: *Qvo modo autem unitas animæ in mixtis Rebusp. potest demonstrari, eodem voluntatis etiam, inde profluentis, ac eidem semper connexæ unitas asseritur.* Enimvero si hæc posterior demonstratio non melior, & felicior, qvam illa prior, fuerit, non magnifice de ea sperandum esse, ex hactenus deductis liqvet. Sed audiamus modum,

dum, qvem *ille* in hac demonstratione conficienda iniit.

§. 24. Ait autem: *Cum non obsit*, scil. voluntati, *qvod per Concilium aliqvod paucorum aut plurium indivisa potestate exerceatur, nulla apparet ratio, cur nocere debeat, si unus & pauci, diviso qvodammodo jure, eandem in publica administratione exponant; Utrinqve enim talis unio adest, qvæ moralem personam efficiat, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habeatur, circa negotia ad finem civitatum spectantia.* At enim ut largiamur, qvamdiu conventa utrinqve servantur, pacem & unionem inter eos, qvi partes summi imperii divisim obtinere dicuntur, sic satis custodiri posse. Verum ubi qvis pacti leges dolo violet, alterumqve in sui juris exercitio turbet, qvæ unio voluntatis, qvæso, ad pacem contra hujus impetum defendendam, aut qvis eum in ordinem redigendi modus, præter bellicam violentiam? Qvod sane longe secus esse, cum penes unum concilium indivisim summa potestas est, cœcum esse oportet, qvi non videat. Hic enim voluntas ex plurium voluntate resultans sufficientibus viribus succincta, & potestate im-

morigeros plectendi instructa est; & turbatores pacis, præsertim si hoc mature, anteqvam factione vires acqvirant, fiat, refrænare, & intra officii sui limites compellere in proclivi est; adeoqve omnes ad ea, qvæ sibi conveniunt, facienda, non pacto solo, sed vinculo imperii, qvod illo longe fortius & firmius esse, supra ostendimus, permoventur.

§. 25. Unde qvamvis in *mixta*, qvam vocant, Republica, *voluntas explurium pactis implicita & unita pro omnium voluntate habeatur*, nulla tamen imperii vis subest, per qvam alter, penes qvem & ipsum aliqva summi Imperii particula hæret, si eam pro tali agnoscere detrectet, ad hoc compelli possit; sed solo pudore ac conscientia, vel certe belli molestiis terrebitur; & has qvidem opum, viriumqve fiducia facile contemnet; obligationis autem naturalis, ubi præsens pœna metuenda haud est, qvam parum memores soleant esse homines, nemo non intelligit, qvem inter eosdem versari, & ingenii humani malitiam, abditosqve recessus scrutari contigit.

§. 26. In seqventibus *Ille* copiose ostendere satagit, etiam in mixtis Rebusp. *finem*

nem Civitatis, communem nempe utilitatem ac tranqvillitatem, haud negligi, imo *docere nos annales, sæpius civilis consociationis finem obtineri nullo modo alio potuisse, qvam hac instituta Imperii divisione.* Ex qvo qvidem parum præsidii huic sententiæ accedere puto. Neq; enim propterea civitas desinit irregularis esse, qvod pro scopo publicam salutem habet; sed illud interest, utrum hæc vinculo unius imperii, qvod in Rep. regulari fieri oportet, secura sit, an solum per modum male firmi pacti promoveatur; qvod toties accidere necessum est, qvoties partes summi imperii divisim & radicaliter in pluribus subjectis hærent.

§. 27. Deniqve non opus est, qvod *ille* putat, ut *regula, ad qvam Resp. exigi debeat, lege qvadam nos obligante definiatur*, neqve propterea usqve eo donec illud fiat, *de regulari vel irregulari frustra disputabitur.* Ostendimus enim jam supra, regulam in sola definitione, & conceptu *Civitatis*, qvi apud omnes sanos non potest non uniformis esse, collocandam; ut legislatorium munus anxie hic implorare, supervacaneum omnino fuerit. Unde nec ad conceptum, qvem unus alterve

sibi de Rep. *regulari*, & *irregulari* formet, sed utrum ille definitioni & naturæ civitatis conveniat, respiciendum est. Qvocirca nec illud necessarium fuerit, ut, stante hac divisione, qvævis Resp. vel utroqve nomine, vel neutro appelletur; sed in aprico est, alterutro, eoqve sibi convenienti qvamlibet civitatem insigniendam esse. Cæterum, qvæ sigillatim forma ejus Reip. sit, qvam *ille* cum *Monzambano* in hypothesi examinat, disqvirere, præsentis instituti haud est.

§. 28. Sed jam ad *Compositas* Civitates, seu *Systemata* progrediamur. Hæc emergunt, cum plures una civitates peculiari qvodam vinculo ita coalescunt, ut singulæ tamen summum Imperium in sese retineant. Eorum duo sunt genera. Primum est, cum plures Civitates eundem Regem habent; alterum, cum fœdere aliqvo inter se colligatæ, atqve conjunctæ sunt.

§. 29. Origo prioris generis Systematum variis ex causis, & cumprimis ex matrimonio Principum, & Jure hereditario oriri solet. Et dissolvuntur rursus per mortem Regis, in cujus solius persona unio radicata erant, aut stirpe Regia extincta, qvæ regnum

Jure

Jure hereditario obtinuerat. Unde ſicuti illa, durante unione, revera diſtincta ſemper manſerunt, ita ubi hæc deſinit, ad ſingula ſeorſim jus novum Regem eligendi revertitur; neqve in poſterum, ſi unio diſplicuerit, communi ſe regi, niſi ad hoc alio fœdere obligentur, ſubjicere coguntur.

§. 30. Altera ſpecies Syſtematum, qva plures Civitates fœdere inter ſe connectuntur, potiſſimum melioris defenſionis, & ſecuritatis gratia invaluiſſe videtur. Eorumqve indoles in hoc potiſſimum conſiſtit, qvod inter duas pluresve civitates conveniat de certis partibus ſummi Imperii nonniſi communi conſenſu exercendis; illibata de cætero facultate de reliqvis, qvæ qvomodo gerantur, ſociorum non intereſt, ſuo arbitrio, & proprio ex judicio ſtatuendi. Ubi ad celerius feliciusqve expediendas eas res, qvæ ad communem defenſionem ac tranqvillitatem pertinere videbuntur, certum tempus & locum agendis conventibus deſignari, vel ex delegatis ſingulorum ſociorum perpetuum aliqvod concilium, penes qvod ſit facultas, negotia, præſertim levioris momenti, & qvæ extra ordinem incidunt, definiendi, conſtitui.

§. 31. Ubi tamen illud probe observandum, si fortasse contingat, civitates circa illa negotia, ex qvibus omnium sociorum salus conjunctim pendet, & propter qvæ fœdus inierunt, dissentire, earum nullam, ut ad majoris partis voluntatem sese accommodet, compelli posse, sed solis rationibus permovendam; qvia perfecta ejusmodi, & regularia Systemata non vinculo unius imperii, sed nuda conventione cohærent; hæc autem libertatem, hoc est, facultatem de rebus ad sui conservationem pertinentibus proprio ex judicio statuendi, haudqvaqvam tollit, vel imminuit. Qvod si alicubi contingat, irregulare Systema erit, & propius ad civitatem accedet.

Caput Vigesimum Primum.

DE AFFECTIONIBUS SUMMI IMPERII.

§. I.

Considerata hactenus indole summi Imperii, seqvitur, ut de *affectionibus* ejus plenius agamus. Inter eas primo loco ponimus, qvod illud est *summum*, neqve cujusqvam arbitrio

bitrio subjacet; adeoqve qvi illud obtinet, facultates suas & vires eo modo, qvo ipsi visum fuerit, liberrime applicat, de rationibus reddendis nemini in terris obstrictus. Unde consequitur, etiam ab omni pœna eum esse exemptum; qvod hæc nisi a superiori, qva tali, proficisci neqveat. Qvamvis haud raro Principes in proprio foro actionem adversus se intentari patiantur, non qvod hujus auctoritatem revereantur, aut aliqvam in eo superioritatem agnoscant; sed ut petitoris jura plenius discutiantur, qvibus ad liqvidum perductis, ultro obligationi sibi incumbenti satisfacere cupiunt.

§. 2. Amplius in aprico est, qvod summus Imperans legibus civilibus sit superior, adeoqve per has nullo modo obligetur. Cum enim idem esset obligatus, & obligans, obligans autem obligatum possit liberare, frustra esset sibi obligari, qvia liberare seipsum potest arbitratu suo, & qvi hoc potest, jam actu liber est. *Hobbes. d. Cive c. VI. §. 14.* Unde inepta est vulgaris distinctio inter *vim directivam*, & *coactivam*; qvatenus illa sic explicari solet, ut obligationem in legislatore produ-

cat, qvamvis nulli pœnæ humanæ sit obnoxius.

§. 3. Qvod vero *Hobbes. cit. loc.* hinc colligit, *civitatem non posse civi obligari*, admitti non potest; idqve planum fiet, si diluamus rationem, qva hanc opinionem propugnat. Sic autem *Ille*: *Qvoniam enim hic illam, si voluerit, potest obligatione liberare, & vult, qvoties ipsa vult, qvia civis cujusqve voluntas in omnibus rebus comprehenditur in voluntate civitatis, libera est civitas, qvando vult, hoc est, actu jam libera est. Concilii autem, sive hominis, cui summum imperium commissum, est voluntas civitatis. Complectitur ergo voluntates singulorum civium.* Enimvero submissio voluntatum, qvæ fit unius vel hominis, vel concilii voluntati, non laxe nimis ac indefinite accipienda, sed ad illa negotia, qvæ ad finem Civitatis, pacem nempe ac defensionem communem spectant, restringenda. Unde ambigendum haud est, posse civitatem cum cive suo pacisci, ex eoqve pacto validam obligationem contrahere; cumqve in tali negotio Civitatis voluntas a voluntate civis plane diversa sit, non suo, sed hujus arbi-

trio

trio a nexu, qvem semel contraxit, liberabitur.

§. 4. Præterea ex hoc, qvod Imperium *Summum* est, liqvido consequitur, non posse in eadem civitate aliud imperium dari, huic par, vel eodem superius. Qvocirca vulgata divisio Majestatis in *personalem*, & *realem* absurda est, & manifeste implicat; eademqve si recipiatur, variis turbis, & exitiabili civitatis convulsioni occasionem præbere potest.

§. 5. Eminet etiam inter affectiones Summi Imperii ejusdem *Indivisibilitas*; de qva licet in superioribus jam fuse actum sit, eademqve multis, & ni fallor, perspicuis argumentis demonstrata, non tamen abs re fuerit, hoc loco argumenta, qvibus eandem supra *laudatus Auctor* impugnat, & qvæ cum prioribus insignem connexionem habent, breviter excussum ire. Et primo qvidem admittit, *Majestatem esse indivisibilem*, si hanc habeat significationem, *in qvolibet cœtu, qvi civitatis constituendæ causa convenit, tale debere esse Imperium, qvod liberrimum judicandi & præscribendi arbitrium habet, circa omnia ea, qvæ ad gubernationem illius, consecutionemqve*

finis

finis & salutis necessaria sunt, aut pertinere ullo modo possunt. Enimvero non in hoc solum significatu, de qvo nulla unqvam orta est dubitatio, summum Imperium est *indivisibile*, sed etiam eo sensu, qvod in diversis subjectis propriis partes ejus potentiales divisim existere non possint. Qvocirca inter subjectum summi Imperii *Commune* & *proprium* nullum hic discrimen constituendum est.

§. 6. Quod deinceps ait, *si ille cœtus in subjecto accidentali forte eidem*, summo scil. imperio, *certum modum ponere velit, nec imperio, nec summitati ejus qvicqvam derogat*; facile largimur. Neqve enim hoc casu Jura Majestatis in diversa subjecta conferuntur, sed solum, qvem modum, qvæve media fini civitatis producendo imperans adhibere debeat, definitur; qvæ alias proprio ex judicio, arbitriove æstimaturus fuerat. Unde alia longe indoles est Imperii limitati, certisqve finibus constricti, qvam si ejus partes in diversis subjectis radicaliter & independenter inhærere dicantur.

§. 7. Originem vero divisionis, & ejus, qvam defendit, mixturæ hunc in modum tradit, *si in ipsum consortium facultatis, & ju-*

& juris unius aut plurium sint admissi ordines, ut tanqvam concausa vera in actibus Majestatis se habeant, & ad constitutionem subjecti accidentalis, cui Majestas Reip. inhæret, concurrant, tum demum vera, qvamqve hic qværimus, mixtura oritur. At enim vel Ordines pari jure in exercitio summi Imperii concurrunt, singuliqve in communionem Majestatis recepti sunt, & nova hinc Reip. forma emerget, cui ad Aristocratiæ nomen nihil deesse intelligitur; vel unus auctoritate, & nonnullis summi imperii particulis insigniter præpollet, cæteri vero & ipsi partes integrantes Reip. suo jure obtinent, & erit hoc corpus inter Monarchiam, & perfectum Systema velut interjectum, & ab indole regularis Civitatis longissime remotum, in eoqve nullum Imperii vinculum, qvod omnes liget, atqve coerceat, sed adversus reluctantes fere sola vis bellica valebit.

§. 8. In seqventibus *ille* hunc in modum colligit: *Qvia populi liberi, qvi constituendæ Reipublicæ jus habent, talem formam inducere possunt, ut Majestas qvantum ad partes in diversis subjectis hæreat, & jura summi Imperii partim sint penes unum, partim penes plures*

res divisim, ita ut una pars absque altera jura sua habeat, ac exercere possit, sequitur etiam, dari Statum Reip. mixtum. Verum hic liqvido apparet, assumi, & fundamenti loco præstrui, qvod nondum demonstratum est. Negamus enim, hoc unqvam factum esse, aut fieri etiam posse, ut Majestatis partes in pluribus subjectis divisim & independenter hæreant. Sed tali casu non tam divisio jurium Majestaticorum contingit, qvam illi, qvi in unum cœtum coalescunt, pacto solum & fœdere inter se junguntur, cujus natura a vinculo unius Imperii longe sejuncta est.

§. 9. Illud incongruum, qvod negat, conjunctionem & nexum inter omnes partes summi Imperii obstare, qvo minus illæ divisionem recipiant. Hac enim posita, utiqve connexionem illam abrumpi necessum est. Qvod autem subjicit, *verum hoc esse, si de summo imperio ratione suæ formæ, prout in subjecto essentiali & communi existit, accipiatur, neqve illam unitatem tolli, si in subjecto accidentali instituatur partitio*, manifestam principii petitionem involvit. Abunde enim ostensum est ex ipsa indole summi imperii, partes ejus naturaliter ita invicem implexas esse,

esse, ut citra destructionem regularis formæ civitatis divelli, & separari nullo modo possint. Unde utiqve *sequi* arbitramur, *ut unam partem imperii qvis exercere qveat, necessum esse, totum illud, & qvoad reliqvas qvoqve partes habeat.* Nam qvidvis potius, qvam pars summi Imperii est, præscribere alteri, qvid facere ipsum oporteat, cum, si illud detrectet, reluctantem coercendi, & ad illud observandum adigendi potestate careas.

§. 10. Sed propius ad institutum *ille* accedit, & demonstrare videtur velle, *ita institui posse partitionem, ut sui qvisqve juris exercitio alter alterum non impediat, nec alieno opus habeat auxilio.* Qvod qvidem si vel ratione, vel exemplo demonstrari posset, res esset confecta, neqve ulterius laborandum foret. Concedit deinde, non posse fieri, ut uni detur legislatoria facultas, alteri vis punitiva, *saltem qvoad singulas partes, qvia hæc duo jura in ipso exercitio fere concurrant, cum leges, si pœnis destituantur, imperfectam legislatoris potestatem arguant.* Atqvi nullus hic concursus alius, qvam in omnibus cæteris summi imperii partibus contingit; & nobis omnis particula Majestatis *imperfecta*, vel potius

tius nulla est, cum qva reliqvæ indivulso nexu haud sunt conjunctæ.

§. 11. Exemplum vero, qvo ad probandam hanc summi imperii divisionem utitur, tale est. *Contingere*, inqvit, *potest, ut uni jus privilegiorum concedendorum soli concedatur, in cæteris vero cum Ordinibus concurrat; istud ut efficaciter possit exercere, nihil aliud requiritur, qvam ut solus qvoqve adjunctam habeat potestatem judiciariam, vel saltem necessarias judiciariæ facultatis partes, in qvantum ad exercitium sui proprii juris sufficit.* Enimvero privilegia elargiri, non semper cum summo imperio conjunctum est; sed idem jus sæpe etiam Ordinum *Superioritati*, qvam vocant, inhæret; cum tamen hanc illo longe minorem faciant. Deinde non est absurdum, etiam in fœdere inæqvali uni præ cæteris insignem ejusmodi prærogativam concedi, qvamvis eo casu a systematis regularis natura deflecti, ultro fateamur. Qvæ res clarior fiet, si paulo curatius, in qvo facultas privilegia tribuendi consistat, expendamus. Hæc ergo, si proprie & tanqvam vera pars summi imperii spectetur, in eo potissimum verti intelligitur, qvod vis proprio ex judicio, & aliis incon-

inconsultis uni vel pluribus jus singulare contra tenorem juris Universalis concedere, eosdemqve ab obligatione communi suo arbitrio eximere possit. Atqvi si hæc facultas vera pars summi imperii esse debet, hoc est, uni subjecto radicaliter & independenter inhæret, potestas legislatoria ordinum solo titulo superba erit, revera autem in nihilum recidet. Ubi enim alter obligat, alter vero ab hac obligatione rursus pro imperio liberare potest, illius jus incerto effectu gaudet, imo totum ab hujus arbitratu suspenditur.

§. 12. Neqve vero ut tale jus, tanqvam pars summi Imperii, *efficaciter exerceri* possit, hoc solum sufficit, ut *adjunctam habeat potestatem judiciariam.* Qvid enim si *Ordines* hujusmodi privilegia negligant, & alte despiciant, qvomodo illis auctoritas conciliabitur, & voluntates in ordinem redigentur, nisi per bellicam violentiam? Atqvi hoc evidenti est indicio, non vinculo unius imperii, sed solo pacto, ac fœdere, vel expresso, vel saltem tacito, corpus tale contineri, id qvod cum indole regularis civitatis consistere haud posse, manifestum est, & nihil minus, qvam pars summi Imperii, est, qvæ non suis est tuta viribus,

ribus, sed sola alterius conscientia, & pudore naturali munitur.

§. 13. Qvod *ille* regerit, *ad stabilienda privilegia in civibus non opus esse bello, sed judicia sufficere, ac facultates coercendi*, inane est; Cum tale jus summum adversus omnes in civitate, atqve adeo etiam ipsos *Ordines*, qvos vocat, valere debeat; qvos, ubi fidem datam abrumpere, & hujusmodi juris exercitium intervertere conentur, tribunalia parum terrebunt, & judices nullis viribus ad exeqvendum, suasqve sententias tuendas instructos inter inania nomina ridebunt.

§. 14. Ad ultimum hoc modo concludit: *Possunt sane variis modis jura majestatica dividi; ut uni hoc, aliis alia concedantur, dummodo illi, qvi præcipui qvid habet, ex reliqvis juribus tantum relinqvatur, qvantum defendendæ suæ prærogativæ necessarium est.* Atqvi manifestum est, si qvis tantis viribus instructus sit, ut omnes cogere in civitate, easdemqve proprio ex arbitrio applicare qveat, huic nihil ad fastigium summi imperii deesse; sin vero contendas, hanc cogendi facultatem ad unam solum, alteramve Majestatis partem restringendam, qvoad reliqvas autem arbitrium

bitrium aliis solis relinqvendum, vel saltem cum illis communicandum esse, qvid aliud emerget, qvam tale corpus, cujus membra partes imperii separatas possidentia non communi imperio, sed conventione duntaxat cohærent? ubi post abruptum fœdus, ortaqve discordia, nihil reliqvum est, qvam ut ad arbitros eatur, aut per vim bellicam causa disceptetur. Sed hæc in genere monenda videbantur; Nam qvæ sigillatim ad Statum Germaniæ pertinent, in præsenti examinare citra institutum fuerit.

§. 15. Præterea observandum est, qvod summum imperium vel proprio judicio geratur, vel certo agendi modo, certisqve legibus alligatum sit. Illud *absolutum*, hoc *limitatum* appellari consvevit. Ubi circa *prius* liqvet, arbitrium illud non vagum esse debere, & qvamvis ex animi libidine agendi licentiam complexum, sed ex fine civitatis, & legibus Divinis attemperandum esse.

§. 16. Qvia vero unius hominis judicium variis erroribus est obnoxium, arbitriumve ejus in prava flexile; inde multis populis visum est, illud certis institutis & legibus, qvas *fundamentales* vulgo dicunt, circumscri-

bere, & Regem, vel Optimates, qvibus summam rerum commiserunt, jurisjurandi religione ad præscriptum imperii modum observandum adigere. Ex qvo fluit, limitatum dici imperium solum ratione subjecti proprii, & immediati. Nam in ipsa Civitate proprie dicta, tanqvam subjecto communi, semper existit imperium absolutum, seu plena libertas de mediis ad communem pacem defensionemqve spectantibus proprio ex judicio statuendi. Illud simul manifestum est, eos, qvi in suscipiendo imperio ad certam normam adstricti sunt, non posse deinceps citra violati pacti & plerumqve perjurii reatum, vel vi, vel clandestinis machinationibus eandem subversum ire, & sese in plenam agendi libertatem vindicare.

§. 17. Cæterum discrimen hoc inter imperium *absolutum*, & *limitatum* proprie nonnisi in Monarchia & Aristocratia, ubi alii imperantes, alii parentes sunt, locum habet. In Democratiis enim, ubi iidem sunt, qvi imperant, & qvibus imperatur, si vel maxime certa instituta extent, secundum qvæ publica negotia expediri solent; populo tamen sem-

semper integrum est, eadem per contrarias leges abrogare.

§. 18. Promissio autem de imperio recte administrando vel *generalis* est, vel *specialis*. Illa, sive expresse, sive tacite fiat, absoluto imperio nihil qvicquam derogat. Specialis promissio, qvæ certum administrandi imperii modum complectitur, rursus fit duobus modis. Primo enim constitui simul potest Concilium aliqvod, citra cujus consensum Rex de negotiis gravioris momenti disponere non debeat; & si secus fecerit, cives obseqvium denegaturos. Qvo casu in aprico est, populum non ad qvævis jussa, sed ea solum, qvæ præscripto imperandi modo congruunt, obseqvium polliceri. Contrarii ergo actus erunt ipso jure invalidi, neqve in subditis obligationem parient. Ubi etiam illud notandum, qvod talis promissio absolutum qvidem imperium excludat, sed τὸ *summum* imperii haudqvaqvam delibet. Nihil enim impedit, qvo minus etiam limitatum imperium sit summum, cum eidem par, aut superior potestas in Civitate nulla detur, & maneat hic in omnibus negotiis, qvæ ad salutem communem pertinent, una civitatis voluntas, qvam illa per voluntatem

tem Regis declarat; nisi qvod in hoc limitato non suo arbitrio de omnibus statuere possit, sed cognitionem concilii, tanqvam conditionem sine qva non, adhibere debeat.

§. 19. *Alter modus* specialis promissionis est, cum Rex v. gr. certos se actus omissurum esse in susceptione Imperii spondet, sed nullo concilio constituto, ad qvod recurrendum eidem sit, si necessitas, & salus Civitatis, qvi casus semper tacite exceptus esse intelligitur, ab illis promissis recedere jubeat. Talis promissio solam Regis conscientiam stringit, nullum vero jus populo sub praetextu violatæ fidei obseqvium detrectandi, tribuit. Neqve enim hoc casu penes cives est facultas judicandi, utrum necessitas ab istis promissis discedere subigat; sed hoc omne solius Regis conscientiæ relinqvendum est.

§. 20. Cæterum modus habendi imperium varius est. Alii enim jure pleno proprietatis, alii jure quasi usufructuario, alii deniqve Jure temporario illud obtinere dicuntur. Primus etiam alienandi facultatem & modum succedendi pro suo arbitrio constituendi complectitur; ut si qvis imperium justo bello acqvisiverit. Ubi tamen notandum, subdi-

subditos in tali regno patrimoniali libertatem personalem, & dominium privatum in rem suam familiarem retinere, neqve tam eorum personas, utpote qvæ non sunt in commercio, qvam jus circa easdem alienationi subjacere. Add. *l. 14.. C. d. legat.* Ut hinc imperium cum dominio rei familiaris confundendum non sit.

§. 21. Qvando autem Rex neqve circa intrinsecam civitatis structuram aliqvid mutare, neqve imperium invito populo in alium transferre potest, jure qvasi usufructuario illud habere intelligitur. Neqve vero hæc comparatio ulterius extendenda, aut talis Rex pro simplici usufructuario habendus est. Ususfructus enim proprie nonnisi servitus personalis est, seu jus utendi rebus, qvarum proprietas penes alium existit. Qvæ qvidem in Jure Civili locum habent; in Politicis autem ita crude admitti non possunt; eaqve res facile periculosis consecutionibus ansam præbere possit. Qvam ob causam viri eruditi in hoc negotio ab eo vocabulo, qvod facile accipi sinistre possit, plane abstinendum esse, non citra rationem judicarunt.

§. 22. *Temporarium* Imperium vocatur,

cui gerendo certum tempus definitum est, qvo elapso extingvitur, & Imperans ipso jure in privatam conditionem recidit. Cujus exemplum an dari possit, dubium videtur. Certe qvod de Dictatore Romano afferunt, incongruum est; cum ille non proprio, sed pop. Rom. nomine, adeoqve vicarium imperium gesserit. Neqve ex denegata provocandi facultate summum imperium recte infertur; cum non absurdum sit, etiam judicem & Magistratum a summa Potestate constitui, a qvo saltem in certis causis appellatio haud concedatur. Unde conficitur, Dictatorem illum nonnisi Magistratum extraordinarium fuisse.

Caput Vigesimum Secundum.

De Modis Acqvirendi Imperium.

§. I.

Sequitur, ut *Modos* acqvirendi imperium breviter videamus. Inter eos primo loco numeratur *Occupatio*. Qvæ tamen ab occupatione rerum multum differt. Ad hanc enim sola corporalis apprehensio cum animo sibi habendi

bendi sufficit. Ad comparandum vero in homines imperium justus invasionis titulus, eumqve subseqvens pactum & subjectorum consensus reqviritur, qvi tamen in bello justo per vim, & ultima mala intentata licite extorqvetur.

§. 2. Alter modus acqvirendi imperii est *Electio*. Qvæ duum generum est. Vel omnino libera, vel ad certas conditiones & reqvisita adstricta. Cujus divisionis usus nonnisi illo casu, qvo in paucos facultas eligendi collata est, apparet. Ipse enim populus semper liberum jus eligendi habet, & si qvod decretum fecerit, illud iterum pro arbitrio abrogare potest. Aliqvando etiam in admittendo successore, qvi ex familia regnatrice est, populi, procerumve consensus nonnisi per modum suffragii negativi concurrit.

§. 3. Qvod si Monarcha decedat, nullo successore relicto, civitas ad *Interregnum* devolvi dicitur; qvo durante, speciem interim democratiæ habere videtur, saltem hactenus, ut de rebus ad pacem, defensionemqve communem spectantibus ex omnium consensu statuendum sit. Veram enim & perfectam democratiam nemo dixerit civitatem prope

dissolutam, nec nisi primigenio illo pacto, qvo in unum cœtum illi, a qvibus primum constituta civitas, conspiraverant, cohærentem. Et qvia deinceps, neglecto Statu Monarchico, democratiam substituere populo integrum est; inde liqvido apparet, Rege, ejusqve stirpe regnatrice extinctis, non solum jus designandi alium Regem, qvod nonnulli volunt, sed ipsam imperandi potestatem ad populum reverti. Ad incommoda tamen interregni evitanda salubri consilio in antecessum constitui solent, penes qvos, illo durante, exercitium summæ potestatis esse debeat; qvos nonnisi vicarium munus exercere, & hinc magistratuum veluti provisionalium numero habendos esse, in aprico est. Qvod etiam sentiendum de illis, qvi regis minorennis, vel captivi, vel adhuc in utero latentis vices gerunt. His enim Majestatem temporariam, eamqve proprie sic dictam tribuere, ineptum fuerit; non minus sane, qvam si qvis tutores rerum pupillarium dominos asserere velit.

§. 4. Seqvitur tertius capessendi imperii modus, qvi fit per *Successionem*, arbitrio vel ipsius Regis, in regno patrimoniali, vel

vel populi voluntate constitutus. Illius, Regis intellige, dispositio expressa seqvenda est, non secus atqve si alius paterfamilias de privato suo patrimonio testamentum condat. Sin nihil super successione ab eo dispositum reperiatur, naturalem ordinem, & præsumtam ejus voluntatem servari, par est. Hæc autem eo redire videtur, ut regnum ad ejus liberos, eodem statu, qvem ipse exemplo suo commendavit, hoc est, Monarchico devolvatur, & inter eos ad præcavendas lites declinandamqve irregularem Civitatis formam natu maximo filio committatur; ad filias autem nonnisi deficientibus masculis, utpote ad regnandum aptioribus, perveniat; exclusis præterea naturalibus & adoptivis, ex legitimo sangvine prognati succedant. Qvam præsumtionem etiam in populo, qvi successionem simpliciter hereditariam esse voluit, salus civitatis confirmat.

§. 5. Illud etiam magna cum difficultate conjunctum foret, & periculosis controversiis materiam subministraret, præsertim inter personas ab auctore stirpis longius remotas, si gradus proximitatis perpetuo numerare necessum esset. Unde ad declinada hæc incommoda

moda apud plerasqve gentes recepta est succeſſio *linealis*; eaqve dividitur in *cognaticam* & *agnaticam*; qvæ a priori in eo differt, qvod hæc fæminas, & ab illis deſcendentes a regno in perpetuum excludat; cum ex adverſo in ſucceſſione cognatica, maribus in eadem linea deficientibus, ad ipſas qvoqve regreſſus fiat.

§. 6. De filio ante regni adeptionem nato aliqvi dubitant, utrum ei, qvi in regia fortuna editus eſt, præferendis ſit? Enimvero res facile ad liqvidum perducetur, ſi voluntatem patris, & populi, diſtincte probabilibus conjecturis indagemus. Primum ergo ſi pater filium jam habens regnum patrimoniale, de qvo ſtatuendi libera eidem facultas competit, acqvirat, nec ipſe de ſucceſſore ſuo aliqvid diſpoſuerit, naturali ordine liberos ad ſucceſſionem vocaſſe intelligitur; ubi natu major juniori præfertur, nec ratio mutationis, qvæ circa patris dignitatem contingit, ulla habetur; neqve hic minori affectu in eum, qvem privatus genuit, qvam qvem in regali faſtigio ſuſcepit, arſiſſe cenſetur. Accedit, qvod eo tempore, qvo pater ſceptro admovebatur, ille ſolus fuerit, qvem ex progenie ſua tantæ fortunæ ſucceſſorem deſtinare poſſet; qvam voluntatem

tatem pater retinuisse præsumitur, qvamdiu contrariam expresse haud declaravit. Pariter si populus in delatione imperii familiam regnatricem designet, neqve aliqvos sigillatim excipiat, omnes in ea comprehensos eo ordine, qvo se invicem consequuntur, vocasse censetur. Imo si vel maxime Principi ejusqve familiæ, & dehinc nascituris imperium delatum esset, non tamen ante natos excludi, rectæ interpretationis regulæ omnino jubent.

§. 7. Qvodsi in successione nepos ex filio primo natus, & filius secundogenitus concurrant, qværitur, Utrius ratio potior habenda? Ubi videndum, an successio linealis introducta sit, nec ne. Illo casu res difficultate caret; cum ab una linea, qvamdiu in ea qvisqvam exstitit, ad alteram non pateat progressus. Posteriori casu regnum hereditarium vel est dividuum, vel individuum. In illo in dubio, & nisi aliud per legem populi aut consvetudinem introductum sit, uterqve pari jure succedent; cum gradus prærogativam repræsentatio, qva filius in locum sui patris subit, & qvæ naturali æqvitate nititur, excludat. Ubi vero regnum individuum fuerit, neqve jus repræsentationis peculiari lege exclu-

excluſum, natu major minorem vincet; neqve nepos in ætatis privilegium, qvippe qvod perſonam haud egreditur, ſuccedet.

§. 8. Cæterum ſi controverſia ſuper ſucceſſione inter aliqvos oriatur, eodem modo definienda eſſe videtur, qvo lites inter eos, qvi in ſtatu Naturali vivunt, dirimuntur. Nam ut tales ab aliqvo per modum jurisdictionis & imperii, vi cujus arbitrio ejusdem ſtare compelli poſſint, decidantur, earum indoles non admittit. Qvamvis enim, ſi populi judicio res committatur, ejus deciſio ad victoriam magnum momentum tribuat, non tamen vim ſententiæ proprie ſic dictæ habet.

§. 9. De vi injuſta obſcurior eſt diſceptatio, an per illam conſenſus extortus legitimum imperium conferat? Ubi tamen exiſtimem, qvamprimum ille liqvido intervenit, qvod per fidem utplurimum jurato datam fieri ſolet, obligationem in populo naſci, qvam deinceps abrumpere, & violentiæ obtentu jugum ſemel impoſitum excutere, amplius integrum haud ſit, niſi fortaſſe imperii invaſor apertum ſe hoſtem gerere, & in manifeſta violentia, civiumqve oppreſſione omnes rationes ſuas collocare pergat. Sicuti eo caſu,

su, qvo alter alterum de solio præcipitat, subditi nexu, qvo Regi priori tenebantur, non prius exsolventur, qvam frustra omnem suum conatum ad res ejus firmandas esse intelligant, atqve adeo omnes officii sui erga eundem partes expleverint.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE SANCTITATE SUMMI IMPERII.

§. I.

SEqvitur, ut de *Sanctitate* summi Imperii aliqvid subjiciamus. Illud vero inviolabile habendum esse, nemo sanæ mentis abnuat, qvi meminerit, ad tranqvillitatem generis humani, & removenda Status Naturalis incommoda id introductum fuisse. Unde manifestum est, cum submissione voluntatum, qvæ unius vel hominis, vel concilii voluntati facta est, in subditis necessario conjunctam esse obligationem non resistendi, si qvid ille, vel illi, qvi summa potestate gaudent, pro imperio

perio injungant, aut si immorigeros & contumaces per vim ad officium faciendum compellant. An vero hæc obligatio indefinita sit, nullisqve limitibus circumscripta, anceps est, & obscura disceptatio.

§. 2. Ubi illud primo investigandum, an civis capax sit injuriæ, qvæ a summo imperante inferatur. Qvod aliqvi negant, hoc potissimum argumento adducti, qvod inter imperantem & Cives nullum intercedat pactum, cujus violati reus ille argui possit. Illud qvoqve specioſe urgent, qvod voluntas civitatis pro singulorum civium voluntate habenda sit; unde hos ab illa non magis, qvam a seipsis, injuriam pati posse.

§. 3. At enim primo falsum esse, civitatem citra pactum inter imperantem & cives coaluisse, ex superioribus satis constat; cum submissio illa voluntatum, qvæ immediate originem summo imperio dedit, citra stipulationem, saltem tacitam, defensionis, hujusqve ab eo, vel illis, qvi imperium acceptarunt, factam promissionem, qvo utroqve pactum absolvitur, concipi non possit. Nec minus illud falsum est, qvod per solam pacti violationem injuria fiat; cum etiam violatio

juris

juris ex communi humanitatis lege qvæsiti proprie injuria vocetur; qvam communionem in statu civili inter imperantem & subditos sublatam esse, nemo sanus dixerit.

§. 4. Illud, qvod a voluntatum unione petitum erat dubium, inane est. Qvi enim civitatum originem altius repetit, &, qvo intuitu plures in unum cœtum coierint, recte expendit, facile intelligit, submissionem voluntatum, qvæ a singulis uni homini vel curiæ facta est, non infinitam, & incircumscriptam esse, sed ex fine civitatis, communi scil. salute ac defensione, æstimandam ac restringendam, eo cum effectu, ut, qvod imperans circa media ad hunc finem spectantia voluerit, idem omnes & singuli velle censeantur. In reliqvis ergo, qvæ finem civitatis non attingunt, Principis ac civium voluntates distinctæ manent.

§. 5. Cum vero imperans duplici modo considerari possit, vel ut homo, vel ut Princeps; hinc duum etiam generum injurias civibus inferre potest, prout vel hominis, vel Principis officium violat. Hoc contingit, si Princeps omnem regni curam abjicit, & neqve externam vim idoneis mediis propulsat,

neqve inteſtinas turbas præcavet, & civitatis tranqvillitati per leges idoneas conſulit, ſi pecuniam, qvæ ad communes uſus a civibus redit, pro libidinis ſuæ, & voluptatum inſtrumento habet, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi civium ſalutem prodere, & hoſtili animo, atqve per manifeſtam violentiam Statum Reip. ſubvertere inſtituit, ſi extremo tempore, & cum pericula undiqvaqve urgent, habenas imperii deſtituit, illudqve pro derelicto habet. Officium hominis Rex violat, cum ſubditos non tanqvam æqve homines, & ejusdem naturæ ſecum participes tractat, ſed eos belluarum loco ducit, vita & bonis citra Reip. neceſſitatem ſpoliat; cum ſtupris, & adulteriis fæminarum pudorem expugnat; pacta deniqve particularia, & contractus, qvos cum civibus iniit, adimplere detrectat.

§. 6. Sed jam paulo preſſius, qvid circa memoratas injurias civibus liceat, examinemus; qvod explicatu difficillimum eſſe, ultro omnes fatentur. Ubi primo manifeſtum eſt, ſi Rex pro derelicto regnum habeat, poſt id tempus omne obſeqvium illi recte denegari, & niſi exterum fortaſſe regnum acqviſiverit, omnia in illum licere, qvæ alias in pri-

privatum. Qvod etiam in eo verum, qvi tempestive, & ubi nullum ex eo discrimen civitati metuendum est, imperio sese abdicat; cujus deinceps circa novi Regis electionem arbitrium non plus, qvam cujusqve alterius, valebit; nisi fortasse sub certa lege atqve conditione regnum dimiserit. Eqvidem sunt, qvi Regem, qvamvis regalem purpuram abjecerit, loco privati simpliciter habendum esse, negant, qvod pristinæ dignitatis, acceptorumqve beneficiorum memoria ipsi auctoritatem conciliet; perinde ac reverentiam erga patrem in filio emancipato illibatam esse oportet. Qvasi vero privati ejusdem sint omnes generis, & pari auctoritate polleant, neqve ipsos etiam virtus, & erga Remp. merita distingvant. Eos vero omnes, qvi summæ potestatis expertes sunt, privatorum numero censeri, tralatitium est.

§. 7. Sicuti vero de animo regnum pro derelicto habendi evidenter constare debet; ita in aprico est, perinde illum non dari in eo, qvi per socordem ignaviam regnum negligit, nec saltem per idoneos ministros publica negotia expediri curat. Nam & privatus non statim pro derelictis res suas habere creditur,

cum in illis negligentius versatur. Unde stolida nonnullorum opinio haud immerito notatur, qvi subditos propter ignaviam Principis jugum penitus excutere, & fasces in alium transferre posse, autumant. Qvamdiu enim Rex non directe animo hostili civitatem subvertere, & salutem universorum pessum dare conatur, qvod a Principe sanæ mentis nunqvam fiet, voluntas ejus circa negotia civitatis pro singulorum voluntate habenda; qvam proinde illis, saltem hoc cum effectu, ut eundem tali prætextu destituere, & fidem datam abrumpere qveant, improbare non licet. Exemplum de *Wenceslao*, *Caroli IV.* filio, qvem Germani Imperatoria dignitate exuerunt, nihil ad institutum facit. Cum non solam segnitiem causam ejus de solio præcipitandi fuisse, constet. Vid. *Goldast. Tom. I. Const. Imp. p. 379.*

§. 8. Qvodsi Princeps regnum, qvod non in patrimonio habet, sed solo electionis, vel successionis jure obtinet, alienet, hanc qvidem alienationem ipso jure nullam esse, adeoqve omni carere effectu, in aprico est. Sed si de facto id agat, ut emtori illud tradat, posse huic, qvominus ex lege conventionis illud ingrediatur, & oc-

& occupet, a populo resisti, ambigendum haud est. Voluntas enim populi, cum summum imperium uni vel homini, vel familiæ traderet, citra omne dubium hæc fuit, ut in alium extra familiam regnatricem, transferri non deberet. Hac ergo extincta, sui arbitrii est civitas, facultate, qvam ab initio habuerat, de suis rebus proprio ex judicio statuendi ad eandem reversa. Qvam si præripere voluerit cessionarius, per violentiam bellicam, tanqvam hostis, jure repelletur. Neqve cedens, ubi cum illo fecerit, & copias junxerit, justam conqverendi causam habet, si pro libertate Regni, & legibus fundamentalibus tuendis in ipsum qvoqve arma capessantur. Nec vero propter simplicem ejusmodi alienationem, si nulla præsertim vis accedat, Princeps regno privari videtur posse. Sufficit talem actum irritum esse, adeoqve nullum ex eo præjudicium civitati metuendum. Nec qvicqvam præsidii addit argumentum ab usufructuario ductum, qvem extraneo jus suum cedendo idem amittere, & usumfructum cum proprietate consolidari, volunt. Vid. *§. 3. l. d. Usufr.* Primo enim hæc dispositio inter Legum Romanarum interpretes adhuc dubia; cum in eum

sensum commode intelligi possit, cessionem esse ipso jure nullam; usumfructum vero ad proprietatem, legitimo scil. tempore, v. gr. post mortem usufructuarii, redire. Deinde jam supra monuimus, comparationem inter usufructuarium & Regem, qvem vel electio, vel successoria lex solio admovit, non esse perpetuam, neqve adeo ultra fines ibi positos extendendam.

§. 9. Illud nemo in dubium revocabit, qvin fas sit, Regi, qvi aperte animum hostilem erga universos prodit, & toti civitati exitium afferre palam conatur, arma opponere; Is enim Principis personam plane exuisse, & regno se abdicasse videtur; cum voluntas imperandi & perdendi simul consistere non possint. Qvamvis id in Rege mentis compote vix fieri posse, recte moneat *Grotius*. Nec vero dubitem, Regis illius Pegu, qvem ex *Itinerario Joann. Moqvet. l. 4.* memorat *Pufendorfius*, tantum odium erga suos cives concepisse, ut eos plane perdendi libido ipsum incesserit, eoqve sub pœna mortis, ne intra triennium terra coleretur, interdixerit, mentem, sive artibus Magorum, ut ferebatur, sive morbo alio ita corruptam, occæcatam-

tamqve fuisse, ut sibi amplius non constaret. Qvodsi tamen Princeps duobus populis simul imperet, fieri potest, ut unius excidio alterius conditionem meliorem facere cupiat. Qvod *Philippum*, Regem Macedonum, molitum fuisse, constat ex *Liv. d. Bell. Maced. l. 40. c. 3. seq.*

§. 10. Illa qvæstio dubia est, & majori cum difficultate conjuncta: An civi, qvem innocentem hostili animo perditum id Princeps, abs vi præsidium mutuari liceat? Ubi nemo inficias iverit, si fugæ locus pateat, hanc capessendam, vel sub alterius civitatis clientelam concedendum esse. Enimvero ubi omnis fugiendi occasio intercepta est, & spes salutis, nisi qvæ a violentia, viriumqve fiducia supersit, præcisa, ancipitem cogitandi curam affert, an citra peccatum arma expediri, & instans vitæ discrimen per vim depelli qveat. Hic vero, qvamvis multi animo concipere haud possint, qvomodo Principis & hostis personam erga civem idem simul sustinere qveat, & qva fronte postulet, ut ipse sacrosanctus sit, qvi civem innocentem suæ libidini immolare audet; *Pufendorf. d. l. N. & G. L. VII. C. 8. §. 5.* hoc tamen ad tranqvillandum conscientiam, haud sufficere putem. E-

qvidem fatendum, qvod obligatio civis præciſe intuitu Principis ſpectata, cujus vis tota ex pactis, qvibus civitas primum coaluit, metienda eſt, tanta haud ſit, ut in ſtatu qvoqve hoſtili, in qvo Principem libidinis furor conſtituit, conſcientiam ſtringat; ſed is potius hoc ipſo, qvod hoſtis perſonam induit, eandem civi remiſiſſe intelligatur. Sed qvia tali clade civitas periculoſiſſimis fere turbis involvi ſolet, qvas etiam cum vitæ jactura avertere, civi utiqve incumbit; hinc cadendum potius, qvam occidendum eſſe, arbitror; præſertim cum invaſor in mortali peccato verſetur, in qvo ſi occubuerit, æternæ ſalutis periculum eundem incurrere, revelatio nos docet. Neqve hic intereſſe putamus, an Princeps ebrietate, aliove animi tumultu actus, an per libidinis apertam profeſſionem, qvod qvidem non facile accidere videtur poſſe, vim inferat.

§. 11. Unde minus dubitandum eſt, qvin nefas ſit, eidem reſiſtere, qvando ſub obtentu juris, puta ſubornatis calumniatoribus, aut qvod civis iniqva ejus juſſa facere detrectet, innocentem ad ſupplicium rapit; præſertim cum pleriqve cives tali caſu veritatem perſpicere,

cere, & causâ condemnationis justa sit, an iniqva, non ita liqvido judicare possint. Cui qvoad reliqvos cives hæc qvoqve ratio addi potest, qvod ipsi, etiam atrocissima injuria alteri illata, ab obligatione, qva Principi devincti sunt, haud liberentur. Neqve enim in illo pacto, qvo integer cœtus se illi submiserat, hæc velut conditio subjectionis inest, si erga omnes, & singulos cives pro eo, ac par est, & justitia postulat, se gesturus sit; sed pro se qvisqve curam sibi, & protectionem stipulatur.

§. 12. Contra invasorem etiam alienii imperii, qvive illud citra justum possessionis suæ titulum usurpat, qvantum civibus permissum sit, varie disputatur. Ubi ferendi non sunt, qvi ita crude jactant: Laudi ducendum esse, si qvis hunc qvovis modo, nec attenta possessionis diuturnitate dejiciat, & vel insidiis, vel per vim apertam e medio tollat. Sane enim imperium, qvamvis injusto principio subnixum, per ipsam tamen possessionem longam firmatur, & a tacito saltem consensu, atqve pacto subditorum legitimum veluti titulum sibi arcessit; ut non minori piaculo cruententur manus, qvæ in illum sæviunt, qvam qvæ vim Principi ab initio legitime constituto

faciunt. Eum vero, qvi recens imperium alienum invasit, neqve alio præsidio, qvam qvod a viribus suis habet, nititur, hostem esse, manifestum est, adeoqve in hunc, qvamdiu illi fides data non est, ea omnia licebunt, qvæ in statu hostili licite exercentur. Qvid vero si armis, & viribus suffultus invasor cives sub comminatione ultimorum malorum ad fidei promissionem adigat, eosdemqve in verba sua jurare cogat? An & qvousqve talis religio conscientiam stringat, obscurum & explicatu difficile judicari solet.

§. 13. Nobis distingvendi hic tres videntur casus. Primus est, cum illegitimus invasor imperium, forte per mortem prioris Regis, extinctaqve familia regnatrice, aut per spontaneam abdicationem, aliove modo vacans per vim occupavit; atqve adeo nemo, qvi firmius jus prætenderet, concurrit. Alter, cum alius meliori jure imperium vindicaturus adest. Tertius, ubi illud jam ab alio justo titulo occupatum, pulso Rege legitimo, injustus aliqvis invasor sibi asserit.

§. 14. In primo casu, qvem supra jam tetigimus, putamus, non posse diutius invasori jure resisti, qvam in eo animus hostilis, & belli

bellica violentia durat. Ubi autem, fide ultro citroqve data, ille imperium, qvod per vim invaserat, recte gerere, & legitimum se Principem ferre incipit, populum non posse amplius citra peccatum frænum mordere, & veluti non jure sibi impositam parendi necessitatem armis perrumpere. Publica enim utiqve utilitas & salus svadet, aliqvem qvocunqve etiam titulo, civitati potius præesse, qvam eandem rectore destitutam inter medios fluctus & turbas agitari. Cumqve nemo alius meliori jure sibi imperium vindicare possit, non poterit proprie alicui injuria ab invasore illata dici; sed sola proprio ex arbitrio novum Regem eligendi libertas populo per istam violentiam, qvam primum adhibuit, intercepta esse videtur. Cujus desiderium eo facilius digerere poterit, qvo magis præsens invasoris illius regimen justi Principis imperium imitatur; præsertim cum nec citra novos tumultus, & cladem civitatis facile præcipitari possit.

§. 15. Nunc de altero casu, ubi imperium per vim occupatum alius sibi firmiori jure assertum it. Ubi liqvido constare puto, in subditis, qvi invasori fidem adstrinxerunt, non posse obligationem in præjudicium illius,

& ad

& ad jus qvæsitum ipsi auferendum nasci. Unde qvamvis per intentata graviora mala externa fortasse necessitas parendi afferatur, intrinsecum tamen vinculum nullum oriri potest. Qvocirca qvamprimum data fuerit occasio legitimum successorem, citra grave periculum & convulsionem civitatis, regno admovendi, nec pactum, nec jurisjurandi religio, utpote per violentiam extorta, impedimento erunt, qvo minus armis contra injustum regni usurpatorem insurgere, eumqve de solio, qvod injuste conscendit, excutere liceat. Sicuti vero inanis est sine viribus ira; ita stolidum fuerit, fatis neqvicqvam obluctari, & illegitimo Principi, præsenti vi innixo obseqvium tantisper denegare, & contumacia intempestiva, sibi, atqve concivibus pejora mala arcessere.

§. 16. In tertio casu, ubi populus fidem jam legitimo Principi, qvi ab invasore expulsus est, adstrinxit, tota res a præsumta illius voluntate dependet. Cum ergo probabile sit, eum malle, rata interim esse, qvæ ab invasore constituta sunt, qvam, legibus judiciisqve sublatis, ulterioribus turbis, & civitatis confusioni ansam præberi; hinc velut tem-

temporaria obligatione devincti sunt cives, ut hujus voluntati obsecundent, donec mitiora fata pulso Regi viam ad reditum monstrent, & affectus erga legitimum Principem sufficientibus viribus subnixus palam se exerere possit; ut hinc ille civibus obligationem erga se ad tempus remisisse intelligatur, & actus obseqvii non ad raptorem in iniqva possessione stabiliendum, sed ad præcavenda tantisper graviora mala pertinere videantur. Cum utiqve prudentis viri sit, tempori inservire, qvoties hoc citra peccatum licet, neqve inutili, & legitimo Principi nihil profutura reluctantia spontaneum sibi exitium parare.

§. 17. Cæterum hoc loco etiam vulgare argumentum agitari solet: Qvodnam imperii genus inter homines cæteris anteferendum sit? Aliis pro Regio, aliis pro Statu Populari, aut Optimatum acriter pugnantibus. Nobis in notissima qvæstione argumenta, qvæ utrinqve afferri solent, huc repetere non vacat. Illud obiter observamus, plerosqve in eo, qvem reprehendunt, atqve oppugnant, statu non ipsius Regiminis, sed hominum vitia notare; ex qvibus ad omnem civitatis formam

mam varia incommoda provenire possint; nec pauciores, qvicqvid etiam videri velint, si recte attendas, hoc solum stomachari, qvod ipsis supra alios eminere, & in gubernanda Rep. qvam insectantur, pro summa illa, qvam sibi inesse credunt, virtute, versari non licet.

CAPUT VIGESIMUM QVARTUM.

DE OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM.

§. I.

NUnc de Officiis Imperantium insequor; sed paucis; qvo prolixius hæc passim inculcari solent. Pertinent vero hæc ad omnes, sive jure proprio, sive nomine alieno vicarium Imperium administrent.

§. 2. In qvo vero officia hæc consistant, ex fine constitutarum civitatum, & indole summi imperii facile cognosci potest. Coivere homines, ut infinita status naturalis incommoda declinantes sub pacis, communisqve defensionis fiducia, qvam fieri posset, com-

commodissime, & beatissime viverent. Et hæc vitæ commoditas per *salutem populi* indicatur, qvam procurare, *suprema lex* imperantis esse debet. Unde officii sui partes neqvaqvam expleviſse censebitur, si cives qvidem qvalitercunqve conservet, aut defendat, nisi simul vitam eorum qvam jucundissimam efficere studeat. Ad qvod proinde vi pacti, qvo summam potestatem accepit, atqve adeo ipsa lege Naturali tenetur.

§. 3. Qvo loco non prætereunda videtur qvæstio, qvam *Hobbes. de Cive C. 13. §. 5* movet: *Utrum summi Imperatores, & qvicunqve sunt, sive unus, sive plures, qvi summum Civitatis imperium administrant, non peccent contra legem Naturæ, si talem doctrinam, & talem cultum, qvem ipsi civibus ad salutem æternam necessario conducere credunt, non faciant doceri & exhiberi, vel contrariam doceri vel exhiberi permittant?* Qvam ita definit, ut dicat, *facere eos contra conscientiam, & velle, qvantum in se est, æternam civium perditionem.* Cujus opinionis suæ fundamentum in eo collocat, qvod Imperantes ad ea omnia, qvibus civium salutem promotum iri credunt, procuranda sint obstricti; ad salutem vero eorum

orum cumprimis interſit, qvales de Deo opiniones foveant, qvalisqve ei cultus exhibeatur. *Nam*, inqvit, *ſi non vellent*, æternam civium perditionem, *qvare committerent*, (*cum ſummi exiſtentes cogi non poſſint*) *ut ea docerentur & facerent, propter qvæ damnandos eos eſſe credunt.*

§. 4. Enimvero in aprico eſt, ſalutem, intuitu cujus multitudo hominum imperio ſeſe ſubmiſit, civilem beatitudinem complecti; qvem vero qvisqve ſenſum de Deo fovere, & qvomodo animæ ſuæ curam agere debeat, non ex Imperantis voluntate, atqve præſcripto, ſed regulis a Deo propoſitis metiendum eſſe. Et ſane fruſtra eſt vis ad cogendum intellectum, ubi rationes deſunt, ad perſvadendum. Religionis negotium cognitionem de rebus Divinis ſupponit; qvæ per facultatem hominis apprehenſivam immediate haurituri; hæc autem facultas nullis legibus, aut imperio ſubjacet. Unde liqvet, tantum abeſſe, ut Princeps permittendo ſubditis Cultum Divini Numinis, qvem hi pro vero, ipſe autem pro ſpurio habet, contra legem Naturæ agat, ut potius vim adhibendo, & ſuæ religionis ſcita ipſis invitis obtrudendo haud leve pec-

ve peccatum incurrat. Illud vero non abnuam, subditos, qvi falsa de cultu Divino perssvasione imbuti sunt, jure compelli posse, ut statis temporibus puram Verbi Divini prædicationem audiant, per qvam errorum, qvibus impliciti hærent, tenebræ sensim dispellantur.

§. 5. Saluti vero populi recte consulitur, si Imperans operam det, in eoqve omnes nervos contendat, ut primo intrinseca civitatis tranqvillitas illibata conservetur, cives opibus augeantur, & qvisqve jure suo secure perfrui qveat; deinde ut ab externa violentia civitas idoneis mediis præmuniatur.

§. 6. Qvæ officia ut penitius intelligamus, de iis sigillatim videndum est. Qvid vero ad tranqvillitatem, pacemqve internam civitatum faciat, perspicue apparebit, si causas, qvæ illam impediunt, atqve perturbant, indagemus. Inter has autem principem locum tenent doctrinæ, qvæ animos civium ad turbas atqve seditionem disponunt. Talis primo est, *qvod judicium de eo, qvod bonum vel malum, utile vel pernicioſum sit Civitati, ad singulos pertineat.* Hæc enim directo in-

doli civitatis, & pactis, qvibus illa coaluit, repugnat. Qvi enim solus curam civitatis agere, & pacem ejus tueri debet, penes eum etiam solum residet facultas media, qvibus ille finis commode obtineri possit, dispiciendi, & utrum ea salutaria, an noxia sint, judicandi. Dum ergo subditi hoc sibi judicium vindicant, revera in partes imperii involant, & vim summæ potestatis eversum eunt, eoqve ipso intestino tumultui, & factionibus contra principem aditus aperitur, & tandem dissolvi civitatem necessum est. Qvalis doctrina eo diligentius e civium animis expellenda, qvo acrior in illis pruritus libera judicia ferendi, & cumprimis præsentem civitatis statum, & publica, qvantumvis gravissimi momenti, negotia carpendi libido deprehendi solet.

§. 7. Ex eodem fonte promanat altera, non minus seditiosa, *de tyrannicidio licito*, doctrina. Neqve enim expeditum est, qvæ vitia tyrannum absolvant, & sæpenumero appellatio hæc conflandæ Principi invidiæ usurpatur; utiqve postqvam homines per vocabula non solum res, sed etiam affectus suos significare solent. Ex historiarum sane monumentis constat, hoc prætextu insanientem plebem

non

non raro in justissimos Principes sæviisse. Qvamobrem imperandi prudentia svadet, sedulo cavere, ne tale qvid animis hominum ad res novandas sua sponte proclivibus insinuetur. Pari cum hac passu ambulat etiam illa doctrina, *qvod Imperantes legibus Civilibus subjecti sint.* Sic enim facile subditi obseqvium detrectaturi essent, si jussa Imperantis contra leges esse viderentur; qvo ipso omnis vis coactiva, citra qvam salus civitatis stare neqvit, periret. Mitior illorum opinio, qvi inter vim coactivam, & directivam distingvunt; qvam tamen distinctionem indoli legum Civilium, & rectæ rationi adversam esse, supra ostendimus.

§. 8. Illa etiam Civitati exitiosissima doctrina est, per qvam alii extra eandem constituto potestas superior conceditur, qvi subditos a nexu, qvo Principi obligantur, liberare qveat. Sic enim revera penes hunc summum Imperium erit, illi nudum ejus exercitium, & administratio Reip. ad ipsius libidinem ordinanda relinqvitur. Nihil enim efficacius ad movendos mortalium animos, eosdemqve a legitimi Principis imperio abalienandos, qvam, si ejus jussa faciant, æ-

ternorum cruciatuum metus, ac conſcientiæ terror; & profano religionis abuſu ab aſtutis hominibus periculoſiſſimos ſæpe tumultus excitatos, & maximas regnorum converſiones factas eſſe, nemo ignorat, qvi vel ſolius Imperii Romani ad Germanos devoluti hiſtoriam obiter evolvit.

§. 9. Amplius eliminanda nonnullorum, qvi prudentiam civilem profitentur, doctrina, qva ſubditis *abſolutum rerum ſuarum dominium* aſſerunt. Qva poſita, illi non facile, cum neceſſitas urget, & pericula Remp. circumſtant, ad hanc tuendam ſua bona conferent; cum ea fere ſit qverulæ & avaræ plebis indoles, ut vel minimam eorum partem decidi, ægre patiatur.

§. 10. Qvod vero *Hobbeſ. d. Cive cap. 12. §. 2.* inter ſeditioſas opiniones refert, *peccare ſubditos, qvoties mandata Principum ſuorum, qvæ ſibi injuſta videntur eſſe, exeqvuntur*; ita crude admitti neqvit. Cum enim cives ſubmittendo voluntates ſuas unius vel hominis, vel concilii voluntati, ſuperioris, Dei, imperio renunciare neqve voluiſſe, neqve potuiſſe intelliganrur; præterea in proclivi ſint ea, qvæ a Deo

a Deo præcepta vel prohibita sunt; utiqve apparet, qvæ Principis jussa his adversa sunt, nullam vim civium conscientias stringendi habere, imo talia citra peccatum ab iis expleri non posse. Unde in hunc sensum si capiatur, haud est *iniqva vox: Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint.* Qvod enim urget, *ante imperia justum & injustum non extitisse*, falsum est. Cum in aprico sit, etiam ante constitutas civitates leges fuisse, saltem naturales, & ipsis hominum animis a Deo insitas; qvæ utiqve normam præbuerunt, secundum qvam actionum rectitudo vel pravitas æstimanda esset. Unde largimur eqvidem, *justi & injusti naturam ad mandatum relativam esse*; sed mandatum non solum id est, qvod a jussu civitatis, seu ejus, qvi summum imperium obtinet, proficiscitur; sed qvod a qvocunqve superiori venit; adeoqve vel maxime naturales Divinasqve leges includit. Ex qvo etiam facile appareret, qvem in sensum verum sit, qvod *ille* subjicit, *actionem omnem sua natura esse adiaphoram*; Qvatenus nempe moralitas actionum intrinseca, cujus origo a nulla lege, ne qvidem naturali, derivatur, figmentum est; adeoqve præscindendo ab omni, non solum civili, sed &

Naturali lege actiones neqve bonæ, neqve malæ sunt, sed in numero eorum, qvæ vulgo *indifferentia* dicuntur, collocandæ.

§. 11. Vidimus officium Imperantium circa prohibitionem doctrinarum, qvæ cumprimis civitati adversæ sunt. Non minus autem Principi solicité cura adhibenda est, ne cives citra causam justam inæqvali onerum distributione graventur. Ipsa enim naturalis ratio dictitat, ut qvi æqve communi pace atqve defensione civitatis fruuntur, pari etiam modo ad sumtus, qvi ad eum finem necessarii sunt, conferendos concurrant. Et eo major qvidem in concedenda ab oneribus immunitate cautio adhibenda, qvo certius est, propter innatum humanæ naturæ æmulationis studium, nihil civium animos magis irritare, qvam in paribus meritis inæqvalitatem. Illud etiam in universum observandum est, ne graviora tributa imperentur, qvam Reip. necessitas flagitat; cum meminisse debeat Princeps, ipsius res pessimo loco esse, nisi opibus civium fulciantur; & horum incommoda cum ipsius damno semper conjuncta esse. Modus etiam in colligendis sumptibus is adhibendus, qvo, qvam fieri potest, brevissima & minime sum-

sumtuosa via Principis ærario inferantur; ne per longas colligendi ambages melior eorum pars intereat & dissipetur. Cumqve magnum vectigal sit parsimonia, per hanc publicæ egestati succurendum est. Qvod fiet, si superflui sumtus circumcidantur, nugatores, & inutilia aulæ pondera procul absint, & semper de impensis tantum supersit, qvantum ad necessarios civitatis usus sufficere qveat. Miserrimus enim splendor fuerit, qvem brevi extrema civitatis inopia consecutura est.

§. 12. Præterea qvia ad civitatis subversionem plurimum conferre solent *factiones*, officii imperantis est, has impedire, & enatas qvamprimum dissolvere. Est autem *factio* nihil aliud, qvam multitudo civium, vel pactis inter se, vel unius alicujus potentia, sed absqve summi imperantis consensu, unita; qvæ si permittatur, nova qvasi civitas in media civitate erit; neqve levius inde periculum metuendum, qvam si hostis intra mœnia aleretur; Qvamobrem omni studio elaborandum, ut, qvam fieri potest, summa unio sit inter cives, nec cujusqvam auctoritatem magis, qvam ejus, qvi gubernacula Reip. tenet, revereantur, nec qvicqvam præ-

sidii, nisi ab ejusdem defensione, sperent. Et qvia factiones utplurimum ab ingeniis turbulentis, & ambitione, atqve invidia æstuantibus, oriuntur; hæc vi & imperio premenda sunt, ne ipsorum apud plebem potentia sensim glisçat, & qvem ad initio extingvere facile erat, igniculus in plenum ignem erumpat. Illi etiam fere ad res novandas faciliores sunt, qvi nulla rerum necessariarum solicitudine districti otio abundant; Unde efficiendum est, ut ab hoc longissime arceantur cives, & ignaviæ vitia negotio discutiantur; qvod sæpe cum successu ab *Alexandro*, Orbis domitore, factitatum esse, *Q. Curtius* memoriæ prodidit.

§. 13. Nec vero unio civitatis illibata conservari potest, nisi certæ regulæ, secundum qvas metiri actiones suas subditi debeant, proponantur; unde officii summorum Imperantium est, idoneas leges, qvæ ad bonum civium & civitates necessario pertineant, conscribere, & in eo per disciplinam publicam rite sancitam elaborare, ut non tam metu pœnæ, qvam parendi, & honeste vivendi assvetudine inde a primis annis contracta cives iisdem obseqvantur. Cavendum tamen, ne plu-

plures ferantur leges, qvam necessitas & salus civitatis postulat; ut facile a civibus memoria teneri possint. Nam, ut recte judicat *Hobbes. d. Cive c. 13. §. 15.* ubi leges plures, qvam ut earum facile meminisse possimus, & per eas prohibentur, qvæ ratio per se non prohibet, necesse est, ut per ignorantiam, sine ulla prava intentione, incidamus tamen in leges, tanqvam in laqveos, contra libertatem innoxiam, qvam imperantes civibus conservare lege naturali obligantur. Præsertim cum homines fere sæpius ex naturali ratione, qvam scientia legum civilium, qvid facere ipsos, vel omittere oporteat, judicare soleant.

§. 14. Neqve etiam satis est, leges esse sancitas, nisi illi, qvi ad jus secundum eas reddendum constituti sunt, æqvos se & integros præbeant, a muneribus, & corruptione procul remoti. Qvod ut faciant, metu pœnæ cogendi sunt a summo imperante; cujus proinde officium in eo versari intelligitur, ut qverelis civium faciles aures præbeat, & in judicum ordinariorum facta, si opus est, per delegatos inqvirat; eosqve fraudis & impro-

bitatis suæ convictos dignitate exuat, aliisqve malis, prout res exegerit, coerceat.

§. 15. Pœnæ autem in delicta civium constitutæ sic temperandæ sunt, ut civitatis commodum manifeste promotum eant. Is enim est regulariter punitionis, qvæ non ad ultimum simplicium tendit, finis, ut animus civis talis fiat, qvalem eum esse cupit, qvi pœnam sumit; hoc est, ut pœnæ severitate commodum illius societatis membrum esse addiscat. Ad qvem finem obtinendum pœnæ eousqve intendendæ sunt, ut manifeste majus malum a violatione legis expectandum sit, qvam lucrum, & delectatio; adeoqve illud huic præponderet. Plerumqve enim homines actum lege prohibitum suscepturi, ejus commoda & incommoda velut in bilance ponderant; ubi, qvod præponderare intelligunt, vel saltem sibi persvadent, id secundum ingenii sui propensionem seqvi solent.

§. 16. Hoc loco etiam excutienda videtur qvestio, qvam *Hobbes. d. Cive c. 13. §. 11.* circa æqvalitatem in modo contribuendi servandam movet. Qværit: *An debeant cives in publicum contribucee, pro ratione eorum, qvæ lucrantur, an eorum, qvæ consumunt?* In qva qvæ-

qvæstione ita versatur, ut tandem concludat, priorem illum modum pecunias imperandi, ubi qvantitatis opum, qvas qvisqve possidet, ratio habetur, contra æqvitatem, & proinde contra officium imperantium esse; posteriorem aurem rationi & officio eorum consentaneum. Rationem, cur prior modus naturali æqvitati repugnet, hanc reddit, qvod, ubi pecuniæ conferuntur pro ratione opum, ibi illi, qvi æqvalia lucrati sunt, non æqvalia possideant, propterea qvod alter parta per parsimoniam conservet, alter perluxuriam dissipet, ideoqve beneficio pacis æqvaliter gaudentes, civitatis onera non æqvaliter sustineant; cum ex adverso ex altera parte, ubi res ipsæ taxantur, ibi unusqvisqve, dum rem privatam consumit, partem civitati debitam pro ratione eorum, non qvæ habet, sed qvæ beneficio civitatis habuit, eo ipso qvod sua consumit, persolvat. Enimvero uti posteriorem pecunias imperandi modum, præsertim hodiernis moribus receptum ac freqventem non improbo, eundemqve regulariter introducendum esse, fateor; ita negari neqvit, aliqvando ea tempora evenire, ubi citra ullam iniqvitatis speciem etiam prior ille adhiberi possit.

possit. Qvid enim si Eucliones aliqvi partis cumulatisqve opibus incubent, voluptatem ex sola earundem corrasione captantes, nihil autem, vel parum absumant? Hos certe pro modo facultatum, qvas possident, in publicum contribuere, æqvum est; præsertim ubi subito & extra ordinem magna vis pecuniæ cogenda fuerit.

§. 17. Ad locupletandos cives multum etiam facit, providere, ut artes mechanicas diligenter excolant, &, qvos exercere possunt labores, non demum præstita mercede ab aliis redimant; ut mercaturæ, & ubi conditio loci patitur, navigationi operam dent, ut ex terra & aqva uberes proventus capiant. Qva in re eo major cura atqve industria ab Imperantibus adhibenda, qvo magis subditorum animos ægritudo, qvæ ab egestate venit, afficere, eosdemqve ad consilia civitati perniciosa disponere solet. Ita enim fere vulgi consvetudo fert, ut major pars culpam inopiæ, qvam luxui, & ignaviæ propriæ imputare debebat, in regimen Civitatis, & onerum publicorum gravitatem transferat. Solent etiam ad res miscendas illi procliviores esse, qvi, ubi infelici successu peccaverint, non habent magnopere,

pere, qvorum jacturam deplorent. Et turbulentis ingeniis, qvæ prodigalitate, & luxuria sua bona dissiparunt, ad desperationem adductis, nihil facinus est, ex qvo saltem spem acqvirendi ea, qvæ ad vitam, ac dignitatem tuendam necessaria sunt, concipere possint.

§. 18. Alterum caput, in qvo salus civitatis vertitur, est ejus contra hostem externum defensio. Cum enim inter civitates, utpote in statu natutali erga se invicem constitutas pacem ac tranqvillitatem sola lex Naturalis citra vim imperii contineat, eandem vero homines, ubi spes lucri alicujus & commodi affulget, facile violare soleant; inde Summi Imperantis est, prospicere, ne unqvam civitas enervis, & ad improvisos insultus imparata offendatur. Qvo multum conducit, vicinorum motus, atqve consilia solerter expiscari, eumqve in finem exploratores dimittere, vel, qvod freqventius & minus suspectum est, perpetuos legatos in exteris Rebusp. habere, qvi prudentia, consilio, & cumprimis animos hominum noscendi, eorumqve inclinationes & motus caute observandi peritia instructi sint, omniaqve ad suos diligenter referant. Unde hos non minus ad salutem civitatis necessarios esse,

esse, ait *Hobbes. c. l.* §. 7. qvam lucis radios ad salutem hominis; eosqve argute comparat aranearum telis, qvæ extensæ undiqvaqve subtilissimis filis, motus externos ipsis intus in cavernulis suis residentibus significent; ut qvando exeundum, & qvo accurrendum sit, scire possint.

§. 19. Sicuti autem serum nimis, media defensionis conqvirere, cum hostis ante muros est; ita officio rectorum civitatis continetur, ut in pace, qvæ semper male fida reputanda est, de bello cogitent, omniaqve ad belli discrimen necessaria subsidia mature comparent. Eoqve inprimis pecuniæ, qvæ nervus belli est, collectio pertinet; qvæ non facile, urgente jam periculo, ita subito a civibus coacervari potest; præsertim cum tenax & morosum vulgus ex iis, qvæ semel in bonis suis numeravit, vix minimam partem in publicam erogare utilitatem sine murmure consveverit. Qvod vero aliunde ex vectigalibus ad civitatis ærarium redit, raro tanti esse solet, ut ad defensionem ejus, & hostes opibus viribusqve pollentes propulsandos sufficiat. Præterea cives armorum peritia instruendi, loca præsidii causa munienda, deniqve

niqve omnia paranda, qvæ ad vim, & periculum, si qvod ingruat, repellendum pertinere videbunrur.

§. 20. In iis sigillatim civitatibus, ubi certus imperandi modus publica lege sanctus est, ad qvem observandum summi imperantes sese adstrinxerunt, horum officium est, illius fines diligenter custodire, neqve vel per vim, vel occultas machinationes de legibus fundamentalibus qvicqvam subversum ire. Cujus qvidem officii Principes frustra admoneri putat *Hobbesius*, qvi nullum inter summum, & absolutum imperium discrimen agnoscit. Cujus argumenta breviter expendisse, non citra institutum fuerit.

§. 21. Primum *ille d. Cive c. 6. n. 18.* contendit: *Manifestum esse, in omni civitate existere hominem unum, vel concilium, sive curiam unam, qvæ potentiam in cives singulos jure habeat tantam, qvantam extra civitatem unusqvisqve habeat in se ipsum.* Qvod existimem, aperte falsum esse. Qvi enim sub nullius civitatis imperium concessit, sed extra eam in statu Naturali sibi relictus degit, de omnibus, qvæ ad sui conservationem, atqve salutem necessaria esse credit, proprio ex judicio

dicio ſtatuit; & hinc ejus in ſe ipſum potentia tanta eſt, ut niſi ſponte per intercedens pactum ad aliqvid ſe obliget, ſola, qvæ lex Naturæ præſcribit, officia abſoluta exercere teneatur. Enimvero qvi imperium in alios accepit, qvod ſemper mediante pacto fieri, ſupra oſtendimus, utiqve conditiones pacto adjectas adimplere tenetur, adeoqve non propria ex libidine, ſed ex earum præſcripto negotia civitatis obire debet; qvod alias violati pacti manifeſte reus eſſet. Et in eorum, qvi in unam civitatem coivere, arbitrio utiqve erat poſitum, utrum incircumſcriptam potentiam uni homini, vel curiæ committere, an vero certis eandem finibus definire vellent; qvos deinceps tranſilire, propter conſenſum intervenientem, integrum amplius haud eſt.

§. 22. Argumentum vero, in qvo *ille* omne opinionis ſuæ præſidium qværit, tale eſt. *Si enim*, inqvit, *poteſtas limitaretur, neceſſe eſt, ut id fiat a majori poteſtate; Oportet enim eum, qvi limites præſcribit, majorem potentiam habere, qvam is, qvi limitibus cohibetur.* Qvod argumentum ulterius ex eo qvoqve vim mutuari poſſit, qvod inde conſecuturum eſſet, penes

penes civitatem imperanti contradistinctam residere majus, & sublimius aliqvod imperium, qvod sub *Majestatis realis* titulo vulgo efferri solet, & absurdum figmentum esse, in superioribus demonstratum. Verum uti post constitutam civitatem ejusmodi limitationi citra imperantis Voluntatem locum haud esse, facile largior; ita non video, qvid obstet, qvo minus in ipsa delatione imperii certus modus in eo gerendo observandus adjici qveat.

§. 23. Unde liqvet, inane esse, qvod subjicit: *Potentia illa cohibens, vel sine limite est, vel iterum cohibetur ab alia majori, & sic tandem devenietur ad potestatem, sine alio limite præter eum, qvi terminus ultimus est virium civium simul omnium.* Qvippe in aprico est, potentiam illius coetus, qvi in unam civitatem coalescere, & unius voluntati se submittere decrevit, qvatenus sparsa in singulis summi imperii velut semina complectitur, utiqve illimitatam & absolutam esse tamdiu, donec sub hominis unius vel curiæ potestatem eo modo, qvem ipse voluerit, concedat.

§. 24. Qvibus non obstant, qvæ *ille* affert, *relinqvi sic alicubi potestatem puniendi eos,*

qvi leges transgrediuntur, qvicunqve demum & qvotcunqve illi fuerint, qvod fieri non possit sine potestate absoluta. Manifestum enim est, qvod summa potestas violatores legum puniendi non semper proprio ex judicio exerceri, hoc est, absoluta esse debeat; sed etiam certo modo & normæ alligari possit; ut tamen propterea non desinat esse *summa.* Illud enim imperium proprie *summum* est, cui par, aut majus in eadem civitate haud datur. Neqve verum est, qvod *qvi satis habet virium ad omnes protegendos, satis qvoqve habeat ad omnes opprimendos.* Omnis enim potentia imperantis ex unione virium, qvas singuli cives habent, resultat; qvi qvidem ad sui defensionem eas lubenter applicabunt; ut vero in se mutuo sæviant, & ferrum in concives stringant, non ita facile adduci poterunt. Sicuti etiam illud manifestum est, plus cautionis ab Imperii abusu in regno limitato esse, qvam si illud absolutum, & nullis finibus circumscriptum relinqvatur. Cætera, qvæ *ille* loco memorato urget, jam *Pufendorfii d. J. N. & G. L. VII. c. 5. §. 13.* limam passa sunt; atqve adeo illa huc repetere merito supersedemus.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM QVINTUM.

DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA SINGULAS IMPERII PARTES.

§. I.

POsteaqvam hactenus de summa potestate in universum actum est, nunc qvousqve ejus vis circa singulas Imperii partes valeat, distincte tradendum. Et primo qvidem circa jus ferendi leges manifestum est, non esse adstrictum Imperantem, ut præceptis Naturalibus præcise vim legis Civilis addat, sed posse ipsum facta qvædam, etsi contra Jus Naturæ admissa, conscientiæ patratoris relinqvere, iisdemqve impunitatem in foro Civili præstare. Neqve enim ejusmodi *permissio* efficit, ut actus citra læsionem præcepti Divini exerceri qveat, sed a pœna duntaxat Civili liberat; qvalis non præcise in omnia delicta constituenda est, sed in ea solum, qvæ intentato præsenti

aliqvo malo cohiberi, e publica utilitate esse, Imperans censuerit; reliqva pudori naturali, & conscientiæ cujusvis relinqvere, integrum eidem est; ut eundem effectum habeant, qvem alias actus Jure Naturali permissi producunt. Cavendum tamen sedulo ac diligenter, ne, si laxa & nimis prolixa fuerit indulgentia in foro Civili, ad delinqvendum homines magis invitentur.

§. 2. Accurate etiam est distingvendum inter id, qvod proprie Juris Naturalis est, seu eo vel præcipitur, vel prohibetur, & qvod lege Naturæ solum *permissum* est. Qvæ enim permitti dicuntur a Jure N., ad ejus objectum plane non pertinent, sed materiam illo Jure indifferentem constituunt. Circa talia autem in aprico est, liberrimum disponendi arbitrium legislatori humano relictum esse; ita ut citra ullam violationem jurium Naturalium ad alterutram partem subditos adigere possit. Imo hæc proprie materiam Legum Civilium stricte, & ratione originis talium constituunt.

§. 3. Ex dictis manifeste consequitur, in Imperantis arbitrio situm esse, utrum obligatio-

gationi Naturali effectus civiles tribuere velit, nec ne, eosqve omnes liberrimæ ipsius dispositioni relictos, ab eoqve solo æstimandum, cui obligationi naturali eosdem tribui, publice interfit. Ex qva origine fluit divisio obligationis in *Naturalem*, & *Civilem*; Hæc civili auctoritate, illa æqvitate Juris Naturalis nititur.

§. 4. Præterea vis imperii Civilis ad vitam qvoqve civium se extendit, cum defensio civitatis hoc postulat. Ubi tamen eorum internecio directe haud intenditur, sed id agitur, ut imminens periculum a civitate avertant, eiqve fini nullum vitæ discrimen defugiant. Et qvamvis fortasse ex peculiari privilegio immunitatem qvis a militia habeat, illud tamen in casu necessitatis, & ubi per alios civitas satis defendi neqvit, cessabit. Absurdum enim fuerit, hujus conservandi religione totam civitatem perire. Et ejusmodi immunitates tacitam hanc conditionem: Nisi summa necessitas urgeat, comprehendunt. Imo tantus favor civitatis defensionem comitatur, ut ne promissio qvidem hosti a captivo facta, qvod arma deinceps

contra ipsum gesturus haud sit, obstet, qvo minus extremo tempore ad militandum obligari possit. Fides enim hosti data de bello offensivo, non eo, qvod ad tuendam civitatem geritur, interpretanda est.

§. 5. Pari ratione si ad pacta firmanda obsides a civitate tradendi sint, qvilibet civis ad has partes suscipiendas compelli potest. Qvo casu in aprico est, eam esse civitatis intentionem, ut obsidum non vitam, sed libertatem duntaxat corporalem oppignoret; sed si fidem datam violari contigerit, liberum in eosdem arbitrium alteri relinqvat. Imo etiam ubi perfidus hostis ad perniciem civitatis obsidibus abutatur, his ultima minatus, si illa vim inferenti resistat, nulla eidem obligatio incumbit, ut exitio suo horum vitam conservet. Qvin potius fatalem ejusmodi calamitatem æqvo animo ferri, nec inutilibus qverelis immerentem patriam accusari, par fuerit.

§. 6. In compensandis qvoqve delictis summum Imperium potestate in vitam civium gaudet. Cujus juris origo itidem ad pactum, qvo primum Civitas coaluit, referenda est. Ex hoc ipso enim, qvod omnes

mnes voluntatem suam unius hominis, vel concilii voluntati submiserunt, relicta ipsi de rebus ad Civitatis salutem spectantibus proprio ex judicio statuendi facultate, potestas etiam puniendi delicta resultat.

§. 7. Cum vero per pleraqve delicta præter aberrationem a lege, seu norma præscripta læsio alteri, saltem indirecte, & per consecutionem inferatur, hinc & damnum resarciendum, & Civitati propter leges ejus violatas *pœna* satisfaciendum est. Describi hæc potest per *malum passionis, a superiori propter malum actionis inflictum.* Ubi manifestum est, omnem pœnam involvere qvandam animi ab illa aversionem. Ex qvo consequitur, nullam in delinqvente obligationem existere, qvæ ipsum ad pœnam propter delictum sponte sibi arcessendam urgeat; adeoqve non solum ipsum haud teneri se deferre, sed etiam occultatione aut fuga elabendi sibi viam licite facere. Cum enim lex pœnam in violatores statuit, non his ad eam sustinendam, sed magistratibus ad eandem exigendam, proprie obligatio injungi videtur. Omnis ergo obligatio ex delicto orta non ad pœnam, sed

damnum alteri datum reſarciendum pertinet, idqve vi regulæ generalis, qvæ damnum illatum reſarcire jubet.

§. 8. Ex hoc principio in foro Civili a reo capitis juramentum calumniæ exigi haud ſolet. *Vid. Brunnem. d. Proc. c. 15. n. 15.* Ex eodem principio fluit, variationem rei, qvam vocant, pro re illicita haberi non poſſe. Unde reliqvis indiciis juramento, aut alia via purgatis, ob hanc ſolam cauſam in expenſas condemnari neqvit. Qvamvis non ſemel in ipſis rerum argumentis aliter pronunciatum fuiſſe meminerim.

§. 9. Præterea notandum eſt, qvod lex prohibitiva actum vel abſolute interdicat, pœna in violatorem conſtituta, vel conditionalis ſeu alternativa ſit, & ejus perpetrandi licentiam certa pecunia redimere permittat. Et in hoc poſterius legum genus qvi impingit, omni culpa vacat, dummodo mulctam lege dictatam exſolvere paratus fuerit. Cum circa reliqvas leges aliter longe habendum ſit.

§. 10. Sicuti autem pœnæ nonniſi ab eo, qvi ſuperior eſt, infligi qveunt, ita earum

rum finis debet esse præcautio læsionum, qvæ obtineri posse videtur, dum mores ejus, qvi deliqvit, emendantur, vel plane facultas amplius peccandi eidem aufertur & cæteros a peccando exemplum absterret, eoqve modo publicæ securitati per severitatem pœnæ consulitur. Qvia tamen hi fines in certis casibus morali æstimatione non sunt necessarii, hinc pœnam Imperans aliqvando remittere, & veniam indulgere potest. Qvæ tamen facultas ad pœnas lege Divina Universali sancitas extendi neqvit.

§. 11. Magna etiam vis Imperii Civilis est circa definiendum valorem, seu *existimationem* Civium. Est autem *hæc* nihil aliud, qvam *qvalitas moralis, qva hominum dignitas atqve valor in vita communi constat.* Cum enim maxima sit hominum qvoad vitæ rationem diversitas, ut qvidam recte, qvidam vero turpiter eandem transigant, alii majora, alii minora, vel nulla omnino commoda in socialitatem conferant, & hinc nonnulli sola dignatione, qvæ ex naturæ humanæ conditione resultat, contenti sint, alii largius se in a-

liorum usus dispensando eandem auctum eant, inde varia hominum existimatio oritur.

§. 12. Dividi illa potest in *simplicem*, & *intensivam*. Illa vel *absoluta* est, vel *hypothetica*. *Absoluta* dicitur, qvæ ex statu humanitatis, sive conditione hominum, qva talium, venit. Per hanc qvis consequitur, ut ab aliis communis naturæ particeps æstimetur, inqve ipsum exerceantur illa officia, qvæ ex conditione humana præcise spectata fluunt. Qva existimatione gaudet, qvicunqve ut homo vivit, præceptaqve legis N. erga alios tanqvam æqve homines observare laborat. Unde eadem excidit, qvi alios contemnit, vitæ eorum, bonisqve insidias struit, & qvovis modo illis nocere cupit.

§. 13. *Existimatio hypothetica* dicitur, *qvæ ex statu Civili, adeoqve instituto humano resultat.* Cum nempe qvis in civitate pro membro ejus habetur, neqve famæ ejus macula aliqva inusta est. Integritas autem hæc partim ex conditione vitæ, partim ex morum honestate oritur. Unde rursus ob *statum*, vel *delictum* admissum deficit. *Status*, qvi ab hac existimatione arcet, vel *originarius* est, qvi

qvi aliqvem sub initium statim, cum in civitatem venit, comitatur; vel *ex post facto* supervenit; cum nempe qvis ad tempus, tanqvam integrum civitatis membrum vixit, deinceps vero existimationis suæ jacturam patitur. *Originarius* vel *naturalis* est, qvi ab ipsa statim nativitate adest, utputa si qvis servis parentibus natus sit, vel *adventitius*, velut in iis, qvi bello capti in servitutem rediguntur.

§. 14. Ex post facto status existimationem lædens supervenit, v. gr. per capitis diminutionem. Qvalis olim apud Romanos contingebat per *deportationem*, §. 2. *l. d. Cap. dim.* nec non *interdictionem aqvæ & ignis. l. 5. ff. eod.* Qvibus apud Germanos suo modo æqvivalet *declaratio in bannum Imperii*, item intuitu particularium ditionum *fustigatio cum perpetua relegatione*, nec non *condemnatio ad remos*, aut alia opera publica. Similiter ejusmodi existimationis jactura contingit, si qvis in civitate qvidem maneat, juribus tamen ejus haud fruatur, neqve ad honesta aliorum consortia commerciaqve admittatur. Tali macula laborant illi, qvi lenociniis, aut adulteriis se contaminant, qvi lucri causa populo

sunt

sunt spectaculo, *l. 2. §. ult. ff. d. his qvi not. inf.* item huc pertinent milites cum ignominia dimissi, *l. 1. l. 2. pr. & §. 2. d. t.* qvi fœnus improbum, & usurariam pravitatem exercent, perjuri, qvi plura eodem tempore sponsalia, aut nuptias celebrant. *l. 13. §. 2. ff. eod.* Hujus enim farinæ hominibus clausæ sunt dignitatum portæ, *l. 2. C. d. dignit. l. 8. C. d. decur.* testimonium eorum vel omnino negligitur, vel saltem non omni exceptione majus est. *c. 54. X. d. test.* neqve institui semper heredes possunt. Dantur etiam in civitatibus personæ, qvæ non qvidem infames sunt, aliis tamen civibus haud æqviparantur, neqve paribus ubiqve juribus fruuntur, qvos *levis notæ macula laborare* dicunt. Eaqve oritur vel ex illegitima nativitate, *l. 6. ff. d. decur.* vel sordido vitæ genere.

§. 15. *Intensiva existimatio* est *qvantitas moralis, qva inter eos, qvi civiliter æqvales sunt, alii aliis anteponuntur.* Fundamentum intensivæ hujus existimationis est præsentia peculiarium qvalitatum, qvas æstimare homines, & propterea unum altero pluris facere solent. Qvalitates autem illæ sunt variæ, puta natalium splendor, divitiarum

arum ubertas, cultus animi, dotes corporis, rerum gestarum gloria, opinio virtutis, unde auctoritas & nominis celebritas, officiorum & munerum, qvibus qvis perfungitur, dignitas, aliaqve pene innumera.

§. 16. Cæterum existimationem eorum præcipue, qvi altius præ aliis eminent, certis nominibus atqve titulis exprimere plerægve nationes consveverunt; ut prout qvisqve vel communi, vel privato cujusqve judicio aliis antefertur, ita nominum intensionem ejusmodi dignationis designantium splendore eosdem præcedat. Cumqve exiguus virtutis fructus sit, interno hominum judicio magni fieri, nisi id externis signis promatur, qvo ejusmodi honoris specie alii qvoqve ad laudabilia facta exstimulentur, inde titulorum æqvitas manifesta est. Neqve tamen hi semper peculiares personarum qvalitates notant, sed qvandoqve principaliter statum innuunt, in qvo persona constituta, sive digna eo sit, sive fortunæ eundem debeat. Et hos præsertim titulos omnibus viribus propugnari, permagni interest; cum iis negatis in dubium simul vocetur status, cui signi-

significando inventi sunt. Unde a crassa civilis vitæ ignorantia sermones illi manant, qvibus Principum, ac Rerump. super hac re certamina vulgus proterve traducere,& velut superfluam vanitatem exagitare solet.

§. 17. Sicuti autem memorata existimationis fundamenta extra civitatem & in statu naturali nonnisi jus imperfectum ad honorem ab altero conseqvendum tribuunt; ita in civitate suum cuiqve locum assignare, & existimationis intensivæ certam veluti mensuram constituere, eoqve intuitu jus perfectum largiri, ejus est, qvi summo imperio gaudet. Add. *l. 3. ff. d. Off. Præt. l. 1. C. Ut dignit. ord. serv.*

§. 18. Præterea inter partes Summi Imperii est, civibus modum præscribere, qvo bonis suis uti debeant, nec minus partem de his tributi nomine decerpere; idqve mercedis instar habet, qvam singuli pro salutis, bonorumqve suorum defensione, nec non ad sumtus huic fini necessarios tolerandos pendunt. Imo jure eminentis dominii, ubi extrema Reip. necessitas flagitat, Princeps certam qvampiam rem, qvæ ad unum, aut pau-

paucos cives pertinet, ad usum civitatis licite adhibere potest.

§. 19. Sed circa alienationem regni probe distingvendum est, utrum illud patrimoniale sit, necne. Priori casu jus alienandi solus Rex habet; sive vendere illud, sive tanqvam feudum ab alio sub onere commissi ex felonia, aut deficiente familia, recognoscere velit. Qvodsi autem regnum non sit in patrimonio regis, sed ultroneo populi consensu eidem delatum, alienatio hæc, sive totum regnum, sive partem ejus concernat, citra populi, nec non partis alienandæ consensum fieri neqvit. Cujus rei ratio ex primæva eorum, qvi in unam civitatem coaluerunt, voluntate, pactoqve repetenda est. Nec magis bona coronæ, qvæ vocant, qvorum fructus ad reip. aut regiæ dignitatis onera toleranda destinati sunt, citra populi consensum in alium transferri qveunt; cum in his bonis nonnisi ususfructus Regi competat, proprietate eorum penes civitatem remanente.

§. 20. Præterea jus belli, qvod cuivis in statu Naturali competit, civibus ademtum inter partes Summi Imperii censetur. Unde

conse-

conſeqvitur, ſingulis haud licere, injurias ſibi illatas proprio arbitrio ulciſci, ſed vindictam per Magiſtratum ſumendam, & per eundem damni reparationem petendam eſſe. Vid. *l.* 7. §. 3. *ff. Qvod vi aut clam l.* 12. *ſeq. ff. Qvod met. cauſ.*

§. 21. Præterea manifeſtum eſt, magiſtratum qva talem jus armorum ſibi aſſerere haud poſſe; cum hoc a Summo Imperio divelli neqveat. Unde mixtum, & merum imperium, qvod magiſtratibus competit, a jure belli longe diverſum eſt. Qvanta vero poteſtate Duces militares, qvi alieno auſpicio rem gerunt, uti qveant, ex formula ipſis præſcripta, & præſumta Imperantis voluntate, æſtimandum eſt.

§. 22. Bellum autem eſt vel *ſolenne*, vel *minus ſolenne*. Illud inter eos, qvi ſummo imperio gaudent, præcedente ſolenni indictione, geritur; qvorum alterutrum ſi deficiat, bellum minus ſolenne vocatur. Illud vero in genere cavendum, ne bello facile civitatem Princeps involvat, ſed ob innumera mala, qvæ illud comitari ſolent, tutiora prius remedia omnia tentet. Qvem in finem vel amico

amico colloqvio, vel compromisso in arbitros facto, vel deniqve per sortem controversia componi potest.

§. 23. Neqve vero solum pro se, sed etiam aliis, puta subditis, vel sociis bellum recte geritur; præsertim si in fidem atqve tutelam expresse hi recepti fuerint. Imo sola hominum naturalis cognatio, atqve inter se conjunctio sufficit, ad injurias & pericula ab ipsis depellenda.

§. 24. Sicuti autem omnia pacta, ita etiam bellica religiose servanda, sive ad statum belli tollendum, sive ad hostilitatem cum aliqvo moderamine exercendam, aut ad tempus solum intermittendam pertineant. Ad qvod postremum genus *inducia* referuntur, qvæ initæ censentur, qvoties certus terminus est adjectus, qvamvis fortasse *pacis* vocabulum adhibitum fuerit; qvia hoc modo controversia, ex qva bellum enatum, penitus haud tollitur; cum ex adverso pax sua natura æterna sit.

§. 25. De pactis, qvæ bellum plane componunt, & pacem reducunt, disceptari solet: An exceptio metus injuste illati contra ea

locum habeat? Qvo admisso, non posse non publicæ tranqvillitatis rationem convelli, puto, manifestum esse. Cum enim nullum tribunal detur, qvod super tali metu incusso cognoscat, semper integrum foret, hoc prætextu ad bellum redire, & pristinam hostilitatem repetere; qvo ipso nulla pax certa, atqve constans futura est. Neqve minus illa pacta servanda sunt, qvæ ad sopiendos motus civiles cum rebellibus ineuntur; præsertim cum eorum observantiam, velut conditionem obsequii sui denuo promissi, præsupponere videantur.

§. 26. Præterea inter partes summi Imperii est jus fœdera ineundi. Illa autem dividi solent in *æqvalia*, qvæ utrinqve eodem se modo habent, & *inæqvalia*, ubi alterutra pars deterioris conditionis est, aut æqvalia non promittuntur; eaqve rursus vel cum, vel sine imminutione summi Imperii fiunt. Item fœdera vel *personalia* sunt, vel *realia*. Hæc præsumuntur, qvando ex clausulis adjectis, aut aliis circumstantiis non apparet, hac intentione illa percussa esse, ut cum paciscentium

tium morte extingverentur. Add. *l. 7. §. 8. ff. d. Pact.*

§. 27. Fœdera autem omnia, qvæ cum extraneis ineuntur, tacitam hanc exceptionem: Nisi rationes proprii regni repugnent, complecti videntur. Unde si qvis ad auxilia alteri mittenda ex fœdere teneatur, non obstringitur, si intestini motus, aut externa pericula ad proprios civitatis usus eadem efflagitent.

§. 28. Solvuntur fœdera lapsu temporis adjecti, nisi expresse renovata sint. Neqve hoc tacite factum esse præsumi potest ex actibus, qvi finito fœdere exercentur; cum hi magis pro simplicis amicitiæ, qvam renovati pacti indiciis habeantur. Nisi fortasse actus ejusmodi sint, qvi nullam aliam interpretationem recipiant. Dissolvitur qvoqve fœdus unius partis perfidia. Qvamvis aliqvando inter fœderatos expresse conveniat, ut, uno capite violato, cætera tamen integra, atqve firma manere debeant. Qvo casu tamen altera pars non est obstricta illud adimplere, qvod parti a fœderato neglectæ ac violatæ respondebat.

§. 29. Qvodsi sponsio a Ministro summæ potestatis citra ejus mandatum ineatur, in aprico est, ad ejus ratihabitionem illam haud teneri. Sponsor autem, nisi certa pœna in casum deficientis ratihabitionis adjecta sit, ad interesse, &, si non sit solvendo, ad corpus in servitutem tradendum obligatus esse videtur.

§. 30. Cæterum ex sola scientia atqve silentio colligi neqvit, ratum habere Imperantem, qvod injussu ejus Minister gessit. Qvod secus est, si præter silentium alii actus, atqve circumstantiæ concurrant, qvæ ad aliam, qvam approbationis, causam referri haud possint. Add. *Grot. d. l. B. & P. L. II. C. 15. §. 17. num. 2.*

§. 31. De promissis pactisqve Regum celebris qvæstio est: An restitutionem in integrum eadem admittant? Qvod puto affirmandum eo sensu esse, qvod Rex, qvi dolo deceptus, aut per errorem lapsus contraxit, declarare qveat, se promissis suis propter tale vitium haud teneri. Neqve enim hoc ex solo jure Civili est, sed ipsa naturalis ratio talia negotia rescindi postulat.

§. 32.

§. 32. Qvodsi Princeps minorennis sit, & cum extraneo intra illud tempus, qvo propter infirmitatem ætatis regni administrationem nondum susceperit, contractum ineat, haud obligatur, qvia ad contrahendum inhabilis est. In contractibus autem cum civibus initis eodem beneficio gaudet, qvod leges privatis indulgent; cum nulla ratio appareat, qvare Princeps in suis negotiis deteriore illis conditione esse debeat.

§. 33. Sic etiam adversus Capitulationes, seu Leges fundamentales, qvibus ad certum imperandi modum se Princeps adstrinxit, nulla metus aut erroris, aliave exceptio valet. Qvodsi enim conditiones imperii nimis duræ videbantur, a regno abstinere licebat. Neqve etiam populus, qvi illas conscripsit, tam stolidus præsumi potest, ut Summum Imperium per eas mancum, aut immobile reddiderit. Add. *Pufend. d. J. N. & G. L. VIII. C. X. §. 3.*

§. 34. Illud manifestum est, Principem jusjurandum a se præstitum non posse irritum reddere, eo modo, qvo privatorum juramenta rescinduntur. Hæc enim restrictionem: Nisi superior noluerit, semper com-

plectuntur; qvæ tamen in juramento Principis locum non habet; qvod is superiorem non habeat, & absurdum sit, ita jurare, ut tenearis, nisi ipse nolis.

§. 35. Sicuti vero Jure Naturali nihil interest, subditus, an Princeps obligationem contraxerit; ita in foro civili hoc discriminis intercedit, qvod ille qvidem ad exsolvendum promissum invitus compelli qveat, contra hunc autem nullum civi remedium suppetat, si ultro, qvod debet, præstare detrectet. Unde cum Principes coram propriis tribunalibus contra se actionem intentari permittunt, id non in eum sensum accipiendum est, qvasi in illis aliqvam superioritatem agnoscant, aut ab iisdem per vim compelli qveant, sed ut se ad exsolvendum id, qvod ipsos debere liqvido probatum fuerit, paratos esse ostendant.

§. 36. Neqve vero obligatio a Principe contracta solum ejus personam afficit, sed etiam in successores transmittitur. Idqve in regno patrimoniali indistincte verum est; cum successor personam antecessoris repræsentet, & in omne jus ejus succedat. In cæte-

cæteris vero regnis nonnisi ad illa debita tenetur, qvæ totam civitatem afficiunt, atqve ab anteceſſore, tanqvam ejus capite, contracta ſunt.

§. 37. Deniqve circa donationes & privilegia, qvæ anteceſſor indulſit, revocanda ſpectandum eſt, utrum rationem & modum habeant, necne. Qvin enim princeps bene meritis etiam de fructibus, qvorum ſola adminiſtratio eidem conceſſa, donare, eosqve privilegiis augere qveat, nemo cordatus abnuat. Enimvero ſi per inconſultas largitiones fiſcum exhauriat, vel hominibus nauci immunitates ab oneribus, qvæ cæteros nimis gravant, tribuat, nihil populus, aut ſucceſſor peccabit, ſi cauſam publicæ egeſtatis tollat, & qvæ prodegit anteceſſor, repetitum eat. Plane ſi de ſuo Rex donaverit, irrevocabilem ejusmodi donationem eſſe, in aprico eſt; cum eo intuitu non ſecus, atqve privatus, liberrimam diſponendi facultatem obtineat, neqve per hoc, qvod privatum Principis patrimonium imminuitur, publico ærario aliqvid decedat. Qvid deniqve circa revocationem immunitatum ac privilegiorum juris ſit, in ſuperioribus jam expoſitum eſt.

Caput Vigesimum Sextum.

De modis conditionem civis ac civitatis tollentibus.

§. I.

Reliqvum est, ut videamus de modis, qvibus conditio civis ac civitatis perit. Et primo qvidem huc pertinet spontanea migratio, cum qvis permissu civitatis suæ discedit, ac alibi sedem fortunarum suarum figit. Qvæ nisi consvetudo, vel statutum Civitatis repugnet, regulariter cuilibet ex ipsa subjectionis civilis indole permissa esse censetur. Sicuti enim cuivis societati tempestive, ac citra fraudem renunciare licet, ita etiam pactis, qvibus primum civitas coaluit, facultas hæc relicta esse intelligitur; præsertim ubi magna civium multitudo fuerit, & unius dispendium aliorum successione facile resarciri possit.

§. 2. Aliud sane dicendum, si non tempestivus fuerit discessus; puta si magnum Civi-

Civitati periculum immineat, ad qvod depellendum alius æqve idoneus non præsto est; item si magnum æs alienum contractum, nisi civis partem suam in præsens exsolvere paratus fuerit. Vid. *Grot. d. J. B. & P. l. II. c. 5. §. 24.*

§. 3. Illa qvæstio; *An gregatim discedi a civitate possit?* varie agitari solet. Rectius negatur cum *Grotio c. l.* Pacto enim illo, qvo primum in civitatem homines coiverunt, id actum esse, ne qvid admitteretur, qvod ad perniciem atqve interitum civitatis tenderet, manifestum est. Atqvi hac migrandi licentia concessa, civitatem debilitari, ac tandem destrui necessum est. Eqvidem urget *Pufendorfius d. J. N. & G. l. VIII. c. IX. §. 4.* idem, qvod singulis licet, etiam pluribus licere, qvibus sedem fortunarum suarum eodem tempore transferre commodum sit. Nec ad rem facere, qvod hoc modo civitas debilitetur; Nam qvi jus non habeat, me invitum retinendi, illi non fieri injuriam, si commodum meo discessu ipsi intercipiatur; neqve necessarium esse, ut hæc civitas tot myriades civium habeat, aut vicinis semper sit formidanda; non magis, qvam ut hic, vel ille privatus tot millia possideat, qvorum u-

triqve tamen per media illicita nihil subtrahendum.

§. 4. Enimvero ad hæc non absurde regeri videtur posse, non semper idem jus, qvod singulis competit, integram multitudinem sibi recte vindicare; cum diversa utrinqve ratio subesse qveat. Neqve enim unius alteriusve discessus magnum civitati incommodum affert, qvod ex adverso sat grave est, ubi gregatim cives alio migrare incipiunt. Hoc enim cum finem civitatis impediat, & tandem plane tollat, utiqve pacto primigenio, cui civitas originem suam debet, adversari intelligitur. Neqve ad rem facit, qvod per destructionem unius alteriusve civitatis non protinus tota civilis societas pereat, cum unius corruptio alterius generatio esse soleat. Nam pacta, qvibus civitas primum coaluit, ita interpretanda sunt, ut hujus salutem atqve conservationem involvant, indeqve qvid civibus liceat, qvidve eosdem facere nefas sit, dijudicandum.

§. 5. Sicuti vero cives volentes emigrandi facultatem habent, ita ipsos invitos citra justam causam ad hoc compelli non posse, in aprico est. Qvisqve enim, cum certæ se so-

se societati applicat, hoc tacite stipulari intelligitur, ne deinceps præter meritum ejiciatur; qvia id cum maximo ipsius incommodo conjunctum foret. In Colonias tamen cives multitudine prægraves mittere, utiqve integrum civitati est; qvamvis & hoc utplurimum illis volentibus fieri soleat. Qvodsi vero propter delictum admissum aliqvis civitate expellatur, utiqve conditionem civis amittit, & civitas obligationem, qva eidem hactenus obstrictus fuerat, remittere censetur; adeo ut nihil deinceps juris in eundem retineat.

§. 6. Præterea definit qvis esse civis, cum per vim hostilem sub alienam potestatem redigitur. Sic etiam si urbi, aut integræ provinciæ nullum remedium superst, qvo salutem suam expedire, & vim hostium repellere qveat, nihil ipsi jure imputari potest, si hosti se dedere, qvam excidium pati, malit. Redit enim res tali casu velut in statum naturalem, ubi qvisqve saluti suæ qvocunqve modo recte consulit. Pari modo jus civitatis amittit, qvi propter injuriam forte alii civitati illatam eidem deditus est, qvem si hæc recipere noluerit, in civitatis prioris arbitrio erit,

erit, qvid de illo ſtatuere velit; In dubio autem jure civitatis privatus eſſe non intelligitur.

§. 7. Cæterum ipſa qvoqve civitas variis mutationibus obnoxia eſt; præſertim ratione formæ imperandi, adeoqve ſubjecti proprii ſummæ poteſtatis. Qvo caſu tamen qvia eadem civitas qvoad eſſentiam, atqve ſubjectum commune manet, obligationes omnes ac debita eandem etiam poſt mutatam formam ſtringent. Par robur obtinent actus ab invaſore depulſo cum alia civitate initi; cum ex adverſo illi actus, qvi intra eandem civitatem terminantur, utiqve reſcindi, prout Reip. utilitas ſvaſerit, a legitima poteſtate qveant.

§. 8. Sic etiam mutatio Civitatis contingit, qvando duæ pluresve ex illa emergunt, aut plures in unam copulantur. Totalis autem deſtructio civitatis oritur, ſi populus, qvi illam conſtituit, plane extinctus, aut certe cives ita diſtracti ſint, ut in unam compagem amplius coaleſcere non poſſint. Denique idem evenit, ſi civitas ſummo imperio privata in formam provinciæ redigatur.

FINIS.

INDEX PRIMUS CAPITUM.

CAPUT I.

DE *Principiis Actionum Humanarum.* *p.1.*

CAP. II.

De Imputatione Actionum. *p.42.*

CAP. III.

De Norma Actionum Humanarum. *p.65.*

CAP. IV.

De Legibus Naturalibus. *p.102.*

CAP. V.

De Principio Legum Naturalium. *p.110.*

CAP. VI.

De Objectionibus contra hoc Principium. *p.130.*

CAP. VII.

De Methodo Controversias moraies decidendi. *p.139.*

CAP. VIII.

De Religione naturali, seu Officiis erga Deum. *p.154.*

CAP.

CAP. IX.
De Officiis erga seipsum. p. 191.
CAP. X.
De Favore Necessitatis. p. 204.
CAP. XI.
De Officiis erga Proximum absolutis. p. 212.
CAP. XII.
De Officio Paciscentium. p. 218.
CAP. XIII.
De Officio Sermocinantium. p. 227.
CAP. XIV.
De Acqvirendo Rerum Dominio. p. 233.
CAP. XV.
De Pactis atqve Contractibus. p. 273.
CAP. XVI.
De Modis tollendi Obligationem, nec non de Interpretatione. p. 284.
CAP. XVII.
De Officiis ex diverso Statu fluentibus. p. 292.
CAP. XIIX.
De Origine Civitatum, earumqve Forma interna. p. 309.
CAP. XIX.
De Origine & Partibus Summæ Potestatis. p. 327.
CAP.

CAP. XX.
De Rebuspublicis mixtis. p. 336.
CAP. XXI.
De Affectionibus Summi Imperii. p. 360.
CAP. XXII.
De Modis acqvirendi Imperium. p. 376.
CAP. XXIII.
De Sanctitate Summi Imperii. p. 383.
CAP. XXIV.
De Officio Summorum Imperantium. p. 398.
CAP. XXV.
De Potestate Principis circa singulas Imperii Partes. p. 419.
CAP. XXVI.
De Modis conditionem Civis ac Civitatis tollentibus. p. 440.

INDEX SECUNDUS RERUMET VERBORUM.

A.

ACceptilatio & pactum de non petendo an differant? p. 288. n. 10.

Acceſſio. p. 236. n. 8. p. 242. n. 20. naturalis eſt, vel artificialis. p. 243. n. 21. 22. p. 245. n. 27.
Actionum humanarum principia, Intellectus p. 2. n. 3. Voluntas p. 20. n. 24. norma harum actionum p. 65. n. 1. ſqq.
Actio omnis ſua natura eſt indifferens p. 405. n. 10. humana ſive moralis. p. 40. n. 43. ejus materiale. p. 41. n. 44.
Actiones mixtæ qvæ dicantur p. 21. n. 24. p. 37. n. 41. voluntariæ p. 37. n. 40. invitæ ſ. coactæ proprie ſic dictæ ibid. improprie p. 37. n. 41. actionibus proprie invitis Leges poſitivæ effectum moralem nunqvam largiuntur p. 39. n. 42. actiones, qvatenus conſiderantur in relatione ad normam legis, ſunt variæ p. 81. n. 19. reqviſita, ut actio normæ morali exacte qvadret p. 82. n. 19. actiones qvæ alicui in foro humano imputari qveant. p. 42. n. 1. ſqq. 8. actiones invitæ imputari non poſſunt p. 48. n. 8. ſqq. nec actiones eorum, qvi uſu rationis plane deſtituuntur p. 52. n. 12. actiones alienæ qvatenus imputentur. p. 60. n. 19. ſq. omiſſio actionis an imputetur, cum occaſio agendi citra culpam deficit? p. 58. n. 17.
Actus eliciti qvi p. 21. n. 25. circa qvæ occupentur p. 22. n. 25. imperati. p. 21. n. 25.
Adamus an intellexerit, ſe a Deo ad ſocietatem cum aliis hominibus eſſe productum? p. 132. n. 4.

Ado-

Adoptio, in adoptionem filium alteri dare an licitum? p. 301. n. 25.
Aedes igni vicinas qvatenus diruere liceat? p. 211. n. 14.
Aedificium qvando ex aliena materia in suo solo exstructum, num Domino materiæ vindicandi Jus denegandum? p. 247. n. 30.
Aeqvalitas hominum naturalis. p. 217. n. 11.
Aeqvitas an & qvomodo a dispensatione legis differat? p. 79. n. 17. p. 81. n. 18. scripta seu materialis an detur. p. 79. n. 17. p. 80. n. 18.
Aestimatio, an a commodatario, rei commodato acceptæ, qvæ periit, sed tamen peritura non fuerat, si apud commodantem permansisset, præstanda sit? p. 140. n. 2.
Affectus animi maximum habent robur inclinandi hominem ad certum actionis genus. p. 26. n. 30. ob affectuum vehementiam excusatio non admittenda. p. 29. n. 32.
Agendi occasio qvid reqvirat. p. 58. n. 17.
Aggressor violentus, an cum cæde repelli qveat. p. 5. n. 8. p. 10. n. 12.
Alapa, an ea vel imminens evitari, vel impacta vindicari, propter ignominiam, cum qva conjuncta est, per extrema impune qveat? p. 197. n. 13.
Alluvio, qvæ per alluvionem agris adjiciuntur, qvibus ea cedere debeant. p. 243. n. 23.
Alveus a flumine derelictus num ad Principem, an privatos pertineat? p. 244. n. 26.

Amor qvid sit. p. 182. n. 29. Dei & proximi, item intellectualis a qvibusdam pro fundamento Juris Naturæ habetur. p. 116. n. 8. p. 117. n. 10. cupidinis p. 176. n. 22.
Animi cultura tribus absolvitur modis. p. 192. n. 2. sqq.
Antichreticum pactum. p. 283. n. 29.
Appetitus qvid? p. 176. n. 22.
Aristocratia. p. 332. n. 17. p. 338. n. 5.
Assensus voluntatis unde formetur? p. 3. n. 5.
Athei qvid de Existentia Dei. p. 160. n. 6. refutantur. p. 161. n. 8. atheismo omnes viæ obstruendæ. p. 190. n. 38.
Αυτοχειρία prohibita. p. 193. n. 6.
Aucupium exercendi facultas cur privatis ademta. p. 237. n. 11.

B.

Bellum est vel solenne vel minus solenne. p. 432. n. 22. sq. bellum naturale principium J. N. non est p. 117. n. 11. belli justi reqvisita. p. 82. n. 19. belli jus inter partes Summi Imperii censetur. p. 431. n. 20.
Belluæ natura. p. 103. n. 3.
Benevolentia mutua qvomodo alenda ac conservanda. p. 217. n. 12.
Blasphemia per vim extorta num pœna ordinaria digna. p. 207. n. 7.
Bonum in genere. p. 24. n. 28. triplex. p. 25. n. 28. bonum naturale, Metaphysico & morali contradistinctum dupliciter consideratur. p. 24. n. 28.

Bona

Bona prioris domini facto in alios transferuntur per testamentum. p. 363. n. 54. deficientibus liberis qvi ad hereditatem vocandi. p. 269. n. 65. sqq.
Bruta qvibus rebus ad noxam inferendam impellantur. p. 104. n. 4.

C.

Cædes impune perpetratur in sui alteriusve defensionem. p. 199. n. 18. 19. nocturni diurniqve furis, num inter homicidia impunita referenda. p. 202. n. 22. cædi alienæ qvi interfuit, num in eum pœna statui possit. p. 207. n. 6.
Capiones, mortis causa p. 266. n. 59.
Capitulationes, adversus illas, qvibus ad certum imperandi modum se Princeps adstrinxit, nulla exceptio valet. p. 437. n. 33.
Cartesii demonstratio Existentiæ Dei. p. 159. n. 6. rejecta. p. 161. n. 7.
Casuistarum dogma. p. 8. n. 10.
Casus necessitatis legem nullam habet. p. 205. n. 4.
Ceremonias in cultu Divino Lex naturæ non definit. p. 131. n. 2.
Cincia Lex. p. 74. n. 11.
Civium existimatio. p. 425. n. 11. dividitur in simplicem & intensivam p. 426. n 12.
Civis, an capax sit injuriæ, qvæ a summo Imperante inferatur. p. 384. n. 2. sqq. civis obligatio intuitu Principis spectata, in statu hostili qvanta. p. 392. n. 10. an civis, qvem innocentem hostili animo perditum

ditum it Princeps, absvi præsidium mutuari possit? p. 391. n. 10. civibus qvantum permissum sit contra invasorem alieni imperii. p. 393. n. 12. sqq. cives ne citra causam justam inæqvali onerum distributione graventur, p. 406. n. 11. an debeant cives in publicum contribuere, pro ratione eorum, qvæ lucrantur, an eorum, qvæ consumunt? p. 410. n. 16. ad locupletandos cives qvid conducat. p. 412. n. 17. cives armorum peritia instruendi p. 414. n. 19. civis qvilibet ad obsidis partes suscipiendas compelli potest. p. 422. n. 5. cives an gregatim discedere a civitate possint. p. 441. n. 3. sqq. modi qvibus conditio civis ac civitatis perit. p. 440. n. 1. sqq. cives inviti citra justam causam civitate expelli non possunt p. 442. n. 5. qvando qvis desinat esse civis. p. 443. n. 6.

Civitatum origo, earumqve forma interna. p. 309. n. 1. sqq. civitatis instituendæ causa impulsiva. p. 310. n. 2. sqq. 7. num civitas recte dicatur Opus naturæ. p. 311. n. 6. Civitatis definitio. p. 318. n. 20. qvi in civitatis alicujus ditione consedit, qvamdiu ibi moratur, ejusdem se imperio subjicit. p. 323. n. 29. civitas dividitur in simplicem & compositam. p. 332. n. 26. irregularis civitas unde emergat. p. 324. n. 31. civitas num civi obligari possit. p. 362. n. 3. civitates compositæ seu Systemata p. 358. n. 28. horum duo genera. ibid. civitatis unio qvomodo conservanda. p. 408. n. 13. salus civitatis

tis in qvo sita. p. 401. n. 5. sqq. 18. civitas variis mutationibus est obnoxia p. 444. n. 7. 8. civitatis Collegia. p. 324. n. 30. illegitima variorum generum. p. 326. n. 34.
Codicilli. p. 264. n. 55.
Commoda alterius qvivis pro virili promovere debet. p. 217. n. 11.
Communio primæva. p. 234. n. 5.
Compensatio p. 286. n. 7. p. 287. n. 8.
Concilium qvid? p. 332. n. 17. p. 319. n. 22. sqq. 27.
Concubitus non facit nuptias. p. 296. n. 11.
Concupiscentia qvid? p. 176. n. 22.
Confessio delicti, num reus ad eandem teneatur. p. 228. n. 5.
Confusio non est species accessionis. p. 247. n. 29. sq.
Conjugalis societas. p. 294. n. 5. 9.
Conjugum officium. p. 298. n. 18.
Conscientia qvid? p. 5. n. 8. dividitur in rectam. ibid. probabilem. p. 6. n. 9. dubiam. p. 8. n. 11. scrupulosam. p. 10. n. 13. qvomodo probabilis a recta differat. p. 6. n. 9. recta conscientia pauci mortalium reguntur. p. 7. n. 9. qvid Moralistæ de conscientia dubia? p. 8. n. 11.
Consensus, oritur ex pacto. p. 219. n. 4. qvomodo exprimatur. p. 219. n. 5. excluditur per errorem p. 221. n. 8. supponit rationis usum. p. 220. n. 6. consensus facit nuptias. p. 296. n. 11. consensus

parentum in nuptiis contrahendis reqviritur. p. 298. n. 16. consentire qvis possit? p. 220. n. 6.
Consilium. p. 100. n. 35.
Consvetudo altera dicitur natura. p. 30. n. 33. spontaneitatem non tollit. p. 30. n. 34. ad consvetudinem introducendam qvid reqviratur. p. 98. n. 33.
Contractus. p. 273. n. 1. sqq. an ob incidentem dolum reddatur nullus. p. 149. n. 11. discernitur contractus a pacto. p. 275. n. 7. divisio contractuum. p. 275. n. 8. contractus benefici p. 276. n. 9. onerosi. 277. n. 12.
Controversias morales decidendi methodus. p. 139. n. 1. sqq.
Crimina omnia pro naturaliter turpibus non habenda. p. 138. n. 8.
Culpa. p. 92. n. 27. dividitur in latam, levem & levissimam p. 92. n. 28.
Cultus divinus non recte pro principio Juris Naturæ habetur. p. 115. n. 8. rectus in Deum cultus. p. 181. n. 28. in suo genere sit eximius. p. 186. n. 31.

D.

Damnum alter alteri non inferat. p. 134. n. 5. de facto datum, ab eo qvi intulit, resarciendum. p. 212. n. 3. damni æstimatio etiam ex fructibus facienda. p. 213. n. 4. ad ejus restitutionem qvo casu qvis teneatur. p. 214. n. 6. qvalia damna resarcienda. p. 214. n. 7. 8. 9.
Decretum de certa regiminis forma. p. 315. n. 14.

Defen-

Defensio violenta qvalis sit. p. 195. n. 10. non prohibita. p. 194. n. 7. 11. 12. sed cum moderamine certo instituenda. p. 194. n. 8. 9. 11. in defensionem alterius cædes impune perpetratur. p. 200. n. 19. de defensione rerum violenta. p. 201. n. 20. defensio inculpata in judiciis ab allegante probanda. p. 203. n. 23. qvi testes in hac probatione admittendi. p. 203. n. 24.

Delectatio qvid. p. 176. n. 27.

Delicta debent tenere suos autores. p. 45. n. 5. an ad delicti confessionem reus teneatur. p. 228. n. 5. delicta per ebrietatem commissa qvatenus puniantur. p. 35. n. 38.

Delinqventibus num criminum suorum venia recte detur. p. 145. n. 8.

Democratia. p. 332. n. 17. ejus pactum. p. 316. n. 15.

Depositum. p. 276. n. 11.

Desperatio qvid. p. 176. n. 23.

Deus Ens sapientissimum. p. 122. n. 16. ejus cognitio ex lumine naturæ. p. 154. n. 1. existentiæ divinæ notitia triplex. p. 155. n. 2. sqq. qvæ varie demonstratur. p. 156. n. 3. sqq. Cartesii demonstratio. p. 159. n. 6. n. 13. Deus non est sensibile qvid. p. 167. n. 14. nec mundi anima recte appellatur. p. 168. n. 15. Deus est Ens summe perfectum. p. 170. n. 17. 18. est misericors. p. 176. n. 22. 23. intelligens. p. 177. n. 24. ejus scientia differt ab humana. p. 179. n. 26. Deus est unus.

p. 180. n. 27. est colendus. p. 181. n. 28. sq. honorandus. p. 182. n. 29. timendus. p. 183. n. 29. illi obsequendum. ibid. sq. providentia divina ex lumine naturæ demonstrari potest. p. 169. n. 16. non recte dicitur totum. p. 172. n. 19. non est in loco, aut certo aliquo Ubi. p. 173. n. 20. in Deum non cadit motus. p. 174. n. 20. nec Deo attribui possunt ea, quæ passionem aut dolorem inferunt. p. 175. n. 21. sensus & membra ei quo sensu tribuantur. p. 180. n. 26. præcipuum caput recti sensus de Deo. p. 154. n. 1. quem in finem hominem creaverit. p. 122. n. 16.

Discessus civis e civitate num permissus. p. 440. n. 2. sq.

Dispensationis vocabulum quid denotet in Jure. p. 76. n. 13. ejus causa efficiens. p. 81. n. 18. objectum. ibid. a dispensatione diversa est æquitas. p. 79. n. 17.

Doctrinæ quæ animos civium ad turbas atque seditionem disponunt. p. 401. n. 6. sqq.

Dolus, quid de illo circa pacta tenendum. p. 221. n. 9.

Dominium quid. p. 233. n. 2. cui competat. p. 319. n. 20. dominii origo. 234. n. 4. 5. dividitur in plenum & minus plenum. p. 233. n. 3. dominium diminutum, utile, directum. p. 234. n. 3. modi quibus dominium acquiritur, sunt vel originarii. p. 236. n. 8. sqq. cujus generis sunt occupatio. p. 236.

p. 236. 8. sqq. acceſſio. p. 242. n. 20. sqq. vel derivativi. p. 261. n. 49. p. 263. n. 53. qvi duplicis generis p. 266. n. 53. sqq. qvomodo rerum dominia per diſpoſitionem L. N. immediate tranſeant. p. 266. n. 60. sqq. divina conceſſio circa dominium. p. 234. n. 4.
Dominus an ſervum poſſit alienare. p. 305. n. 35.
Donatio mortis cauſa qvid. p. 265. n. 58.

E.

Ebrietas, peſtiferum malum. p. 13. n. 35. qvomodo excuſet in delictis ibid. & n. 33. 36. in actionibus indifferentibus. p. 34. n. 37. in puniendo delicto per ebrietatem commiſſo diſtingvendum. p. 35. n. 38.
Effectus naturales facultatum in homine exiſtentium num recte imputentur. p. 43. n. 2.
Electio Imperantis. p. 377. n. 2.
Electio Voluntatis. p. 22. n. 25.
Eminentia Naturæ num ſufficiat, ut qvis alteri obligationem impingere qveat. p. 70. n. 6.
Emphytevſis. p. 251. n. 36.
Emptio qvid. p. 277. n. 14. emptioni venditioni pacta varia adjiciuntur. p. 279. n. 18.
Epicurus ſtatuit, Mundum ex atomorum concurſu natum. p. 167. n. 14.
Eremitæ, num Naturæ legibus obſtricti. p. 133. n. 4.
Error eſt vel vincibilis, vel invincibilis. p. 11. n. 14. invincibilis dicitur ſecundum æſtimationem moralem. p. 12. n. 15. Error in factis ſingularibus ibid.

circa universalia p. 13. n. 15. error vincibilis an veniam mereatur p. 13. n. 16. de hoc errore Regula Moralistarum. p. 14. n. 17. error in objecto actionis pravæ commissus qvem effectum habeat in Civili Foro. p. 15. n. 18.
Exceptio non adimpleti contractus. p. 290. n. 15.
Exheredatio legitima. p. 269. n. 64.
Existimatio civium p. 425. n. 11. est vel absoluta. p. 426. n. 12. vel hypothetica. p. 426. n. 13. status qvi ab hac existimatione excludit, est vel originarius. ibid. qvi naturalis est, vel adventitius. p. 427. n. 13. vel ex postfacto supervenit. p. 427. n. 13. 14. existimatio intensiva. p. 428. n. 15.

F.

Fabulis num hostem deludere liceat. p. 228. n. 4.
Factio. p. 407. n. 12. origo factionum. p. 408. n. 12.
Factum alienum nemo præstare tenetur. p. 45. n. 5.
Facultates intellectus. p. 2. n. 3. facultas naturalis seu apprehensiva, ibid. & n. 4. nullius externi principii directioni subest. p. 2. n. 4. facultas intellectus dijudicativa. p. 4. n. 6.
Favor necessitatis. p. 204. n. 1. sqq.
Feram capere num privato liceat. p. 237. n. 11. 12.
Fides servanda. p. 219. n. 3.
Fidejussor in qvantum Creditori obligatus. p. 281. n. 26.
Fœdera sunt vel æqvalia vel inæqvalia p. 434. n. 26. vel personalia, vel realia. ibid. exceptio fœderum qvæ cum extraneis ineuntur. p. 335. n. 27. solutio fœderum p. 335. n. 28.

Fœmi-

Fœminis in certis cauſis Jura ignorare licet. p. 20. n. 23. fœminæ a fidejubendi munere an recte excludantur. p. 281. n. 25. fœmina libera ſi conceperit partum, ſed ancilla ediderit, num ille pro ſervo habendus. p. 308. n. 40.
Fruitio qvid. p. 22. n. 25.
Fuga num periculum declinandum p. 198. n. 14.
Fundi vicini pars impetu fluminis detracta num reſtituenda. p. 244. n. 24.
Fur, an illæſa Naturæ Lege, ob qvinqve aureos ſurreptos ſuſpendatur. p. 151. n. 12. nocturnus cum capi poteſt, non occidendus. p. 202. n. 22. num fur ad damni dati reparationem devinctus. p. 216. n. 10. furis heredes ad æſtimationem rei furtivæ non amplius extantis reſtituendam qvando teneatur. p. 216. n. 10.
Furioſorum actiones imputari non poſſunt. p. 52. n. 12. num illis recte infligantur verbera. ib. & p. 54. n. 13. furioſus nemini injuriam inferre poteſt. p. 91. n. 27.
Furti crimen an incurrat, qvi in extrema inopia res alienas ad præſens periculum avertendum neceſſarias vi vel clanculum ſubducit. p. 208. n. 9. ſqq.

G.

Galli, eorum indoles. p. 26. n. 29.
Gentes per modum imperii obligari non poſſunt. p. 334. n. 13.
Germani. p. 26. n. 29.

Habi-

H.

Habitatio in Jure. p. 259. n. 45.
Heredes qvi in testamento constituendi p. 267. n. 62. sqq. heredes stringit obligatio, qvæ ex pacto & contractu descendit. p. 289. n. 13.
Herilis societas. p. 302. n. 26.
Herile Imperium. p. 302. n. 27. sqq.
Hispani, tardi. p. 26. n. 29.
Hobbesii opinio de demonstratione Existentiæ Dei. p. 162. n. 9. sqq. ejus de materia pactorum sententia. p. 223. n. 12.
Homicidium qvando licitum. p. 153. n. 13.
Homo animal superbum. p. 310. n. 3. politicum a natura non est. p. 311. n. 4. Hominis indoles atqve conditio p. 1. n. 2. p. 102. n. 2. 3. hominis definitio. p. 109. n. 11. homo actionum suarum autor est. p. 23. n. 27. imbecille animal a Deo productum p. 122. n. 16. 17. brutis infinitis modis antecellit. p. 103. n. 3. sqq. p. 122. n. 16. in homine longe major proclivitas ad nocendum, qvam in qvovis bruto. p. 104. n. 3. homini nihil indifferentiæ circa bonum & malum naturale in genere est relictum p. 24. n. 28. sed in bonis particularibus. ibid. hominis voluntas non semper laxa fruitur libertate. p. 25. n. 29. homines sangvinei temperamenti ibid. melancholici p. 26. n. 29. homines non natura ad societatem civilem rapiuntur p. 310. n. 20. hominis natura a boni civis officio admodum aliena p. 310. n. 3. hominis officia erga seipsum. p. 131. n. 3. p. 191. n. 1.

n. 1. sqq. homini an recte imputentur effectus naturales facultatum in ipso existentium. p. 43. n. 2. sq. reqvisita subjecti obligationem recepturi p. 68. n. 4. homo superioris potestati subest. p. 69. n. 5. hominis justi officium triplex. p. 84. n. 21. hominis status vel naturalis, vel civilis. p. 189. n. 36. 37. qvinam homines consentire & ex consensu obligari possint p. 220. n. 6.

Honor, qvid. p. 182. n. 28.

Humanæ actiones ex qvibus principiis procedant. p. 1. n. 1.

Humanum genus universum nunqvam in statu naturali fuit. p. 293. n. 3.

Humana natura. vid. Natura.

Humana societas qvomodo conservanda. p. 66. n. 1.

Hypotheca p. 282. n. 27. qvem in modum constituatur. p. 283. n. 28. tacita. p. 283. n. 30.

I.

Ignorantia est absentia cognitionis simplex. p. 16. n. 19. duplici modo consideratur. ibid. efficax qvæ ibid. num patratori imputari qveat. ib. concomitans ignorantia qvæ? ibid. naturam actionum haud immutat. p. 17. n. 19. ratione originis ignorantia dividitur in voluntariam, & involuntariam. p. 17. n. 20. harum definitio ibid. Ignorantia in se. p. 17. n. 21. in se & sua causa. p. 18. n. 21. ignorantia Juris est vincibilis. p. 18. n. 22. Juris Naturalis & gentium cui obsit. p. 19. n. 23. circa ignorantiam Juris civilis distinctio. p. 19. n. 23. ignorantia

rantia circa facta aliena num noceat. p. 20. n. 23.
Imagines qvales per qvietem phantasia figurat, num imputandæ. p. 59. n. 18.
Imperans an peccet in legem N., qvi delinqventibus nonnullis suorum criminum veniam concedit? p. 145. n. 8. Jure belli & pacis gaudet. p. 331. n. 12. in ejus arbitrio situm, utrum obligationi naturali effectus civiles tribuere velit, nec ne. p. 419. n. 1. sq.
Imperans summus legibus civilibus superior. p. 361. n. 2. duplici modo consideratur. p. 385. n. 5. officium summorum imperantium. p. 398. n. 1. sqq. an imperantes ad ea omnia, qvibus civium salutem promotum iri credunt, procuranda sint obstricti. p. 399. n. 3. sq. qvomodo saluti populi consulat imperans. p. 401. n. 5. sqq. 18. sqq. non est adstrictus, ut præceptis naturalibus præcise vim legis civilis addat. p. 419. n. 1.
Imperii civilis autor Deus. p. 329. n. 6. ejus partes p. 332. n. 3. imperii civilis vis ad vitam civium se qvoqve extendit. p. 421. n. 4.
Imperium cui in conjugio naturaliter competat, uxori, an marito. p. 295. n. 10.
Imperium paternum. p. 299. n. 19. sq. herile. p. 302. n. 27. sqq.
Imperium summum qvid. p. 360. n. 1. p. 418. n. 24. cui competat. p. 319 n. 20. p. 338. n. 4. partes Summi Imperii arcte cohærent. p. 337. n. 3. p. 350. n. 18.

n. 18. sq. summi imperii Natura aliqvando corrumpitur. p. 351. n. 20. affectiones S. I. p. 360. n. 1. sqq. ejus Sanctitas. p. 381. n. 1. sqq. imperium summum num divisibile p. 363. n. 5. sqq. aliud absolutum, aliud limitatum. p. 371. n. 15. sq. qvod discrimen tantum in Monarchia & Aristocratia locum habet. ibid. n. 17. an per vim consensus extortus, legitimum imperium conferat? p. 382. n. 9. in coercendis delictis summum Imperium potestate in vitam civium gaudet p. 422. n. 6. sublato summo imperio etiam civitas perit. p. 354. n. 22.

Imperium temporarium p. 375. n. 22. modus imperium acqvirendi p. 376. n. 1. sqq. qvodnam imperii genus inter homines cæteris anteferendum sit. p. 397. n. 17. imperii vinculum, qvo civitas regularis cohæret, longe fortius stringit, qvam vinculum nudi pacti. p. 342. n. 11. de imperio recte administrando promissio vel generalis est, vel specialis. p. 373. n. 18. specialis duobus fit modis. ibid. sq. imperium habendi modus est varius. p. 374. n. 20. ante imperia an justum & injustum extiterit. p. 405. n. 10.

Implantata alieno solo qvatenus huic cedant? p. 250. n. 34.

Impossibilium nulla est obligatio. p. 55. n. 14. impossibilia physice ibid. moraliter talia p. 55. n. 15. qvid de impossibilibus Jus Naturæ & Civile. p. 57. n. 16.

Impu-

Impuberes, an ob delicta puniantur. p. 53. n. 13. an ex contractibus a se initis obligentur. p. 148. n. 10.
Imputatio actionum alienarum, qvid de illa Jura Civilia? p. 60. n. 19. sqq.
Inclinationum naturalium varietas in integris conspicitur nationibus. p. 26. n. 29.
Incommoda servitutis. p. 305. n. 35. sqq.
Indigentia num causa impulsiva constituendæ civitatis p. 311. n. 5.
Induciæ. p. 433. n. 24.
Infantiæ proximi ob delicta qvatenus puniantur. p. 53. n. 13.
Infantum actiones imputari non possunt. p. 52. n. 12. infantes in foro civili nunqvam puniuntur. p. 53. n. 13.
Infortunium. p. 92. n. 27.
Injuria per errorem facta an in foro civili excusetur. p. 15. n. 18. injuria triplici modo infertur. p. 89. n. 26. injuriam furiosus & mente captus inferre non potest. p. 91. n. 27. ab ignorante & invito injuria duplici modo fieri potest. ibid. injuriæ verbales ad mitigandam pœnam in statu civili non prosunt. p. 198. n. 15. an civis capax sit injuriæ, qvæ a summo imperante inferatur. p. 384. n. 2. sqq. injurias summus imperans civibus duplici modo inferre potest. p. 385. n. 5.
Injustitia qvid. p. 88. n. 26.
Insulæ in fluminibus & mari natæ proprietas cui competat. p. 244. n. 25.

Intel-

Intellectus qvid. p. 2. n. 4. p. 177. n. 24. intellectus per duas facultates se exerit. p. 2. n. 3. p. 4. n. 6. qvid circa intellectum in doctrina morali fundamenti loco tenendum. p. 5. n. 7.
Interpretatio pactorum & contractuum. p. 290. n. 16. hujus fundamentum. ibid. sqq.
Interregnum. p. 377. n. 3.
Invasori alieni regni qvatenus resistere liceat. p. 393. n. 12. sqq.
Invidia p. 177. n. 23.
Ira qvid p. 175. n. 21. a nullius delicti pœna ordinaria liberat, nisi justa causa ad illam commoverit. p. 29. n. 32. 33.
Italorum genius. p. 26. n. 29.
Judicium practicum p. 4. n. 6.
Juramentum. p. 229. n. 7. religiose est servandum. p. 184. n. 30.
Jus, qvid hoc Vocabulum denotet. p. 100. n. 35. naturale est, qvod Natura insinuat. p. 124. n. 18. ejus principia. p. 110. n. 2. p. 113. n. 5. 6. 7. 8. jus naturæ universum ad voluntatem divinam refertur. p. 118. n. 12. unicum ejus principium est necessarius nexus, vel disconvenientia cum humana natura. p. 124. n. 17. sqq. objectionum contra hoc principium resolutio. p. 130. n. 2. sqq. Juris naturalis Regulas qvivis sanæ mentis homo perspicere potest. p. 5. n. 7. Juris naturalis & gentium i-

gnorantia in foro civili omnibus obest. p. 19. n. 23. Juris civilis distinctio circa ignorantiam. ibid. Jura qvibus in certis causis ignorare liceat. p. 20. n. 23. Jus fœdera ineundi ad Summum Imperium pertinet. p. 434. n. 26. item Jus belli. p. 431. n. 20. Juris belli & pacis summa. p. 331. n. 12. sq. Jura majestatica num dividi possint. p. 370. n. 14. materno Juri in liberos an paternum anteferendum. p. 142. n. 5. Jus Feudi. p. 252. n. 38. Servitutis. p. 254. n. 40. superficiei. p. 251. n. 37. retentionis. p. 288. n. 9.

Jusjurandum p. 229. n. 7. qvando obligatorium. p. 230. n. 8. sqq. dividitur juramentum in promissorium & assertorium. p. 232. n. 12. jurandum non est sine necessitate. p. 184. n. 30. 31. duobus casibus opus est. p. 185. n. 31. jusjurandum a Principe præstitum qvatenus irritum reddi possit. p. 437. n. 34.

Justitia p. 82. n. 20. ejus definitio. p. 83. n. 20. materia p. 84. n. 21. dividitur in universalem & particularem. p. 85. n. 22. justitia actionum. p. 84. n. 21. sq. distributiva. p. 85. n. 23. in illa attenditur proportio Geometrica. p. 86. n. 23. commutativa. p. 86. n. 24. sq.

L.

Læsio ab ignorante & invito duplici modo potest fieri. p. 91. n. 27. læsio, qvæ volenti infertur, non est

est injuria. p. 94. n. 30. læsio nemini inferri debet. p. 212. n. 2.
Latrones licet societates colant, tamen in Jus N. peccant. p. 134. n. 5.
Lex qvid. p. 66. n. 2. p. 9 n. 11. differt a pacto. p. 99. n. 34. legis interpretatio avthentica. p. 73. n. 10. doctrinalis. p. 74. n. 10. usualis. ibid. lex imperfecta. p. 74. n. 11. perfecta. p. 75. n. 11. objectum seu materia legis. p. 75. n. 12. respectu objecti est vel naturalis vel positiva. p. 94. n. 31. Legum naturalium definitio. p. 108. n. 9. earum principium. p. 110. n. 1. sqq. duplex. p. 110. n. 2. objectiones contra genuinum principium. p. 130. n. 1. sqq. legum naturalium promulgatio qva ratione facta. p. 122. n. 16. 129. n. 22. Hobbesii falsa opinio de hac promulgatione. p. 129. n. 22. qvid circa legem positivam observandum. p. 12. n. 15. Leges actionibus proprie invitis effectum moralem non largiuntur. p. 39. n. 42. Divina positiva est vel universalis vel particularis. p. 96. n. 32. particularis versatur circa ceremonias & politiam. ibid. est vel scripta vel non scripta. p. 98. n. 33. lex humana universalis nulla datur. p. 98. n. 33. cognata legis. p. 99. n. 34. leges naturæ qvales esse debeant. p. 113. n. 4. sqq. lex naturæ sola pacem humani generis continere non potest. p. 322. n. 8. legis commissoriæ pactum. p. 283. n. 29. lex civilis dispescitur in fundamentalem & non

damentalem. p. 99. n. 33. n. 7. legum violatores ad ignorantiam Juris confugere neqveunt. p. 18. n. 22. legis cognitio ad obligationem producendam necessaria. p. 72. n. 9. facultas duplex in eo esse debet, qvi per legem obligandus. p. 112. n. 4 leges ne plures ferantur, qvam necessitas & salus civitatis postulat. p. 409. n. 13. legislatoris cognitio ad obligationem producendam necessaria. p. 72. n. 9.

Liberorum nomine qvi intelligantur. p. 267. n. 62. sq. In eorum bonis patri qvid juris competat. p. 144. n. 6. qvibus liberis parentum hereditas debeatur. p. 267. n. 63. sq.

Libertas voluntatis. p. 22. n. 26. contradictionis. ibid. modi. p. 23. n. 26.

Locatio conductio. p. 279. n. 19. qvomodo hic contractus ineatur. p. 279. n. 20. utrum in locatione, cui aliqvid aleæ subest, propter incertitudinem proventus, aliqvid de pensione ob improvisam sterilitatem a locatore remittendum sit, nec ne? p. 141. n. 3. Locatoris officium. p. 280. n. 21.

M.

Magistratus Jus armorum sibi asserere haud potest. p. 432. n. 21.

Majestas. vid. Imperium summum. De origine & par-

partibus majestatis. p. 327. n. 1. sqq.
Malum naturale. p. 24. n. 28. mala moralia duo si occurrant, qvorum utrumqve declinari non possit, qvid agendum. p. 9. n. 12.
Mandatum. p. 276. n. 10. p. 405. n. 10.
Marito num imperium in uxorem competat. p. 295. n. 10.
Maternum jus in liberos an patrio anteferendum. p. 142. n. 5.
Matrimonium inire regulariter licitum. p. 294. n. 7. sq. illicitum p. 297. n. 13. qvousqve matrimonium durare debeat. p. 297. n. 14. sq. Pleræqve matrimonii prohibitiones Levit. 18. non sunt Juris Naturæ. p. 97. n. 32.
Melancholia p. 26. n. 29.
Melancholici delinqventes an pœna ordinaria afficiendi. p. 54. n. 13.
Mentis tranqvillitati studendum. p. 132. n. 3.
Merces, orta tempestate, navis levandæ causa ejectæ ad qvem pertineant. p. 239. n. 16.
Methodus controversias morales decidendi. p. 139. n. 1. sqq.
Metus qvid. p. 176. n. 23.
Mexicanorum stultitia. p. 46. n. 6.
Migratio spontanea an cuilibet permissa. p. 440. n. 1. sqq.

Militibus in certis causis Jura ignorare licet. p. 20. n. 23.
Minoribus ignorantia Juris aliqvando non obest. p. 20. n. 23.
Misericordia qvid. p. 176. n. 22.
Modi acqvirendi imperium p. 376. n. 1. sqq.
Molestiæ servitutis p. 308. n. 41.
Monarchia. p. 332. n. 17. sana. p. 333. n. 18.
Moralis doctrinæ fundamentum. p. 5. n. 7.
Moralitas intrinseca actionum est merum figmentum. p. 108. n. 11.
Mortis causa donatio. p. 265. n. 58. capiones. p. 266. n. 59.
Motus in Deum non cadit. p. 174. n. 20. motus peccaminosi non semper evitari qveunt. p. 27. n. 30. ideoqve in foro Civili non attenduntur. p. 28. n. 30.
Mundum ex atomorum concursu natum Epicurus olim statuit. p. 167. n. 14. mundi anima Deus non recte dicitur. p. 168. n. 15. providentia sua Deus mundum gubernat. p. 169. n. 16.
Mutuum qvalis contractus. p. 280. n. 22.

N.

Natura humana in eruendo Juris N. fundamento considerandæ. p. 125. n. 18. sqq. p. 162. n. 9. natura hominis a boni civis officio admodum aliena. p. 310.

310. n. 3. Naturæ opus num civitas recte dicatur. p. 311. n. 6.
Necessitatis efficacia. p. 205. n. 2. p. 208. n. 9. necessitatis casus legem nullam habet. p. 205. n. 4. non tamen efficit, ut peccatum committi qveat. p. 206. n. 5.
Novatio. p. 288. n. 11. duplex. ibid.
Numinis violatio nullo casu exceptionem patitur. p. 207. n. 7.
Nuptiæ, an in iis contrahendis parentum consensus reqviratur. p. 298. n. 16. ad illas consensus matrimonialis sufficit. p. 296. n. 11.

O.

Obligatio. p. 67. n. 3. qvid reqviratur, ut qvis alteri obligationem injungere qveat. p. 70. n. 6. p. 71. n. 8. Juris obligandi fundamentum an Potentia. p. 71. n. 7. obligatio, ad qvam qvis metu compulsus, an sit valida. p. 146. n. 9. de modis tollendi obligationem. p. 284. n. 1. sqq. obligatio civis intuitu Principis spectata qvanta. p. 329. n. 10.
Occupatio bellica. p. 241. n. 19. qvoad res mobiles ac immobiles. p. 236. n. 8. sqq. Imperii. p. 376. n. 1.
Officia hominum triplicis generis. p. 154. n. 14. erga Deum. p. 154. n. 1. sqq. erga se ipsum p. 131. n. 3. p. 191. n. 1. sqq. erga proximum. p. 212. n. 1. sq.

Officia conjugum. p. 298. n. 16. paciſcentium. p. 218. n. 1. ſqq. ſermocinantium. p. 227. n. 1. ſqq. ſummorum imperantium. p. 398. n. 1. ſqq.
Oneribus ſubditi ne graventur. p. 406. n. 11.

P.

Pactum qvid. p. 275. n. 7. pactorum neceſſitas. p. 218. n. 2. materia. p. 223. n. 12. ſqq. pacta reqvirunt conſenſum reciprocum. p. 222. n. 11. fiunt pure, vel ſub conditione, vel in diem. p. 224. n. 16. ſqq. pactum differt a lege p. 99. n. 34. diſcrimen inter pactum & contractum. p. 275. n. 7. præceptum J. N. circa pacta generaliſſimum. p. 219. n. 3. qvid de pactis dolo initis tenendum. p. 221. n. 9. pacta per metum ab altero extorta regulariter ſunt invalida. p. 222. n. 10. pactum antichreticum. p. 283. n. 29. legis commiſſoriæ. p. 283. n. 29. pactum, qvo uni homini vel concilio ſumma poteſtas committitur. p. 316. n. 15. ſq. hujus pacti vis ex virtute aliorum pactorum haud metienda. p. 317. n. 17. ex hoc pacto ſummæ poteſtatis origo derivatur. p. 317. n. 18. ad pacta firmanda ſi obſides a civitate tradendi, qvilibet civis ad eas partes ſuſcipiendas compelli poteſt. p. 422. n. 5. bellica pacta religioſe ſervanda. p. 433. n. 24. an exceptio metus injuſte illati contra hæc pacta locum habeat. p. 433. n. 25. pacta Regis

gis an restitutionem in integrum admittant. p. 436. n. 31.
Parentum officium. p. 301. n. 24. potestas in liberos. p. 299. n. 19. sqq. an tanta, ut ad eorundem se venditionem in casu necessitatis extendat. p. 145. n. 7. parentis utrius jus in liberos potius. p. 142. n. 5.
Parsimonia magnum in civitate vectigal. p. 407. n. 11.
Partus a fœmina libera conceptus, sed ab ancilla editus, an pro servo habendus. p. 308. n. 40.
Paterni imperii origo p. 299. n. 19. patria potestas in liberos. p. 300. n. 22.
Pax humani generis, qvæ ad illam conservandam necessaria. p. 312. n. 8. sqq.
Peculium servi apud Romanos. p. 306. n. 37.
Perfidia alterius partis abrumpit obligationem. p. 290. n. 15.
Perjurus qvis dicatur. p. 230. n. 7.
Permutatio est antiqvissimus inter contractus onerosos. p. 277. n. 13.
Persona civilis differt a civitate. p. 318. n. 19.
Pictura, an tabulæ cedat. p. 249. n. 33.
Pignus. p. 282. n. 27. judiciale atqve prætorium. p. 284. n. 30.
Pœnarum finis. p. 425. n. 10. pœnas infligendi facultas est pars summæ potestatis. p. 330. n. 10.
Pœnitentia qvid. p. 175. n. 21.
Polygamia secundum Jus Nat. est indifferens. p. 97.

n. 32. p. 142. n. 14. Jure Divino prohibita. p. 296. n. 12.

Potentia an fundamentum Juris obligandi. p. 71. n. 7.

Poteſtatis ſummæ origo. p. 317. n. 17. p. 327. n. 2. ſqq. ejus definitio. p. 327. n. 1. poteſtas legislatoria. p. 329. n. 9. judiciaria. p. 330. n. 11. Poteſtas Principis circa ſingulas imperii partes. p. 419. n. 1. ſqq.

Pretium. p. 273. n. 2. eſt vel vulgare, vel eminens. p. 273. n. 3. res, qvæ in commercia hominum per ſe haud veniunt, ſine pretio ſunt relictæ p. 274. n. 4. pretia rerum naturalium & artificialium. p. 274. n. 5.

Princeps an regnum, qvod jure electionis, vel ſucceſſionis obtinet, alienare poſſit. p. 388. n. 8. an a cive, qvem innocentem hoſtili animo perditum it, per vim repelli qveat. p. 391. n. 10. an nefas ſit principi reſiſtere, qvando ſub obtentu juris innocentem ad ſupplicium rapit. p. 392. n. 11. ipſi cavendum, ne cives citra cauſam juſtam inæqvali onerum diſtributione graventur. p. 406. n. 11. qvousqve ejus vis circa ſingulas imperii partes valeat. p. 419. n. 1. ſqq. princeps adverſus capitulationes, qvibus ad certum imperandi modum ſe adſtrinxit, nulla exceptione tutus. p. 437. n. 33. obligatio principis qvousqve ſe extendat. p. 438. n. 35. ſq. qvid circa donationes

nes & privilegia Principum notandum. p. 439. n. 37. Principibus cur facultas venationem, aucupium & piſcaturam exercendi aſſerta. p. 237. n. 11.

Principium Juris N. duplex. p. 110. n. 2. eſſendi legum naturalium. ibid. n. 2. ſqq. ad principium cognoſcendi Juris naturalis tria reqvirunturtur. p. 113. n. 5. ſqq. In duas propoſitiones fundamentales ſe reſolvit. p. 123. n. 17. objectiones contra hoc principium. p. 130. n. 2. ſqq.

Privilegium qvid. p. 76. n. 14. ejus diviſiones variæ. p. 77. n. 14. ſq. interpretatio. p. 78. n. 16. qvomodo extingvatur. p. 79. n. 16.

Promiſſio mutua dicitur pactum. p. 316. n. 16. de imperio recte adminiſtrando duplex. p. 373. n. 18. promiſſio ante acceptationem partis alterius non obligat. p. 222. n. 11. promiſſiones fiunt vel pure, vel ſub conditione, vel in diem. p. 224. n. 16. ſqq.

Promiſſionum materia. p. 223. n. 12. ſqq. promiſſa per metum extorta regulariter invalida ſunt. p. 222. n. 10.

Proportio geometrica & arithmetica, unde hi termini; & qvid notent. p. 86. n. 23.

Proprietatis an capax oceanus p. 235. n. 7.

Pubertati proximi ob delicta qvatenus puniantur. p. 54. n. 13.

Pur-

Purpura alieno veſtimento intexta utri adjudicanda. p. 246. n. 28.

R.

Ratio, cur homini inſita. p. 122. n. 16. recta Ratio Juris Naturalis principium haud eſt. p. 114. n. 7.

Religio naturalis in duas diſpeſcitur partes. p. 154. n. 1. ejus fundamentum. p. 162. n. 9. finis duplex. p. 186. n. 32. effectus p. 187. n. 33. Religionis magna vis in mentes humanas. p. 188. n. 35. ex Religione qvæ commoda ad ſocietatem humanam redunderit. ibid. n. 36.

Remiſſio debiti p. 288. n. 10.

Res inter homines communes. p. 234. n. 4. ſq. propriæ. p. 235. n. 5. ſq. res, qvæ in commercia hominum per ſe haud veniunt, ſine pretio ſunt relictæ. p. 274. n. 4.

Reſpublicæ ſunt vel ſanæ, vel morbidæ. p. 333. n. 18. reſpublica optimatum qvando bene habeat. p. 333. n. 19. popularis qvæ felix cenſenda. p. 333. n. 20. non omnes Reſpublicæ ad ſanas referendæ. p. 335. n. 24. Reſpublicæ mixtæ. p. 336. n. 2. ſqq. p. 351. n. 20. irregulares & παρεκβάσεις in qvo differant. p. 339. n. 6. irregularium Rerumpubl. origo duplex. p. 339. n. 7. Reſpublica irregularis. p. 345. n. 14. ſqq. Respublica mixta non datur. p. 352. n. 21. ſq. Reipublicæ ſumma penes qvem. p. 319. n. 22.

Reſtitutio damni illati qvalis eſſe debeat. p. 213. n. 4.

n. 4. ad hanc restitutionem triplici casu qvis tenetur. p. 214. n. 6.
Reus an ad confessionem delicti teneatur. p. 228. n. 5. a reo capitis juramentum calumniæ exigi haud potest. p. 424. n. 8.
Rex an regnum alienare possit. p. 431. n. 19. an loco privati habendus, cum regalem purpuram abjecit. ibid. num Regi, qvi animum hostilem erga universos prodit, & toti civitati exitium afferre palam conatur, arma opponere fas sit. p. 390. n. 9. Regum pacta & promissa an restitutionem in integrum admittant. p. 436. n. 31. Regis Pegu odium erga cives suos. p. 390. n. 9.
Rumoribus falsis erga hostem num uti liceat. p. 228. n. 4. sq.
Rusticis in certis causis Jura ignorare licet. p. 20. n. 23.

S.

Salutis propriæ studium principium Juris Nat. non est. p. 117. n. 11.
Sanctio qvid. p. 75. n. 11.
Sanctitas Summi Imperii. p. 383. n. 1. sqq.
Scriptura an chartæ cedat. p. 249. n. 32.
Sermo, circa hunc duplex est hominis obligatio. p. 227. n. 1. 2.
Servitutis genera. p. 254. n. 40. p. 303. n. 29. sqq. servitus pœnæ. p. 306. n. 36. servitutes prædiales. p. 260. n. 74. dividuntur in rusticas & urbanas. ibid.

ser-

servitutis incommoda p. 305. n. 35. qvomodo servitus finiatur. p. 309. n. 42.
Socialitas qvid. p. 120. n. 14. pro principio s. fundamento J. N. a Pufend. habetur. p. 120. n. 14. sq.
Societas. p. 281. n. 23. conjugalis. p. 294. n. 9. inter parentes & liberos. p. 299. n. 19. herilis p. 302. n. 26. humana qvomodo conservanda. p. 66. n. 1. civilis, num homo natura ad illam rapiatur. p. 310. n. 2.
Solutio. p. 285. n. 1. 2. cui facienda. ibid.
Specificatio. p. 246. n. 27.
Spontaneitas voluntatis qvid. p. 21. n. 24. prodit se per actus elicitos & imperatos. p. 21. n. 25. spontaneitatem pertinax in homine consvetudo non tollit. p. 30. n. 34.
Status qvid. p. 292. n. 1. est vel naturalis p. 29. n. 2. vel adventitius. p. 294. n. 5. proprium hujus status. p. 293. n. 4. in statu naturali universum genus humanum nunqvam fuit. p. 293. n. 3.
Subditi num propter ignaviam Principis jugum penitus excutere, & fasces in alium transferre possint. p. 388. n. 7. an peccent, si mandata principum suorum, qvæ sibi injusta videntur esse, exeqvantur. p. 404. n. 10.
Successio in imperio. p. 378. n. 4. linealis. p. 380. n. 5. filius ante regni adeptionem natus, num ei, qvi in regia fortuna editus, sit præferendus. p. 380. n. 6. qvod si in successione nepos ex filio primo natus, & filius secundo genitus concurrant, utrius ratio potior

potior habenda. p. 381. n. 7.
Sumptus colligendi modus optimus in civitate. p. 406. n. 11.
Supplicii capitalis pœna Geneſ. 9. v. 6. non eſt Juris Nat. p. 97. n. 32.
Suſpicio ſola ex communi hominum pravitate orta ad alterum ſub obtentu defenſionis opprimendum haud ſufficit. p. 198. n. 16.
Syſtemata civitatum. p. 338. n. 5. p. 358. n. 28. eorum duo ſunt genera. p. 358. n. 28. ſqq.

T.

Tempus complendæ uſucapionis. p. 272. n. 72.
Teſtamentum qvid. p. 263. n. 54. dividitur in publicum & privatum. p. 264. n. 54. ſcriptum & nuncupativum. ibid. reqvirit certas ſolennitates p. 265. n. 57.
Theſaurus ad qvem pertineat. p. 214. n. 18.
Traditio. p. 261. n. 49. vel propria eſt, vel analogica p. 263. n. 52. an lege naturali neceſſaria ſit ad dominii translationem. p. 261. n. 50.
Tutelam ſui violentam ſuſcipiendi juſtum tempus in ſtatu naturali qvando incipiat. p. 198. n. 16. in ſtatu civili. p. 199. n. 16. qvamdiu duret. ibid.

V.

Vivendi ratio qvæ optima. p. 7. n. 9.
Unio civitatis, qvomodo conſervanda. p. 408. n. 13.
Volitio qvid. p. 22. n. 25.
Voluntatis aſſenſus unde formetur. p. 3. n. 5. voluntas eſt principium actionum humanarum. p. 20. n. 24.

n. 24. ejus definitio. ibid. exerit se per duas facultates. p. 21. n. 24. voluntas Divina. p. 178. n. 25. est vel naturalis, vel libera ibid. voluntas Divina recte habetur pro principio obligandi J. N. p. 118. n. 12. voluntatum unio ad pacem necessaria. p. 314. n. 11. voluntas ultima JCtis Romanis est vel solennis, vel minus solennis. p. 264. n. 55.
Usucapio p. 270. n. 68. hujus fundamentum. p. 270. n. 69. ejus reqvisita. p. 271. n. 70.
Usura. p. 280. n. 22.
Usus in Jure qvid. p. 258. n. 44.
Ususfructus. p. 254. n. 41. 42. p. 375. n. 21. p. 254. extingvitur per mortem usufructuarii. p. 257. n. 43. per totalem rei interitum. ibid.
Uxori an imperium in matrimonio competere possit. p. 295. n. 10.

Errata Typothetarum.

Pag. 22. lin. 11. leg. simpliciter. pag. 34. lin. 5. a fine, leg. crapula. pag. 38. lin. 4. leg. mixtas. p. 46. lin. 16. leg. excandescendum. p. 145. lin. 13. pro licent leg. licita. p. 146. lin. 5. leg. coerceat. p. 280. lin. 7. in fine leg. gratis. lin. 4. emergentis. p. 284. lin. 10. leg. tranqvillitati. p. 286. lin. ult. leg. crediti. p. 304. leg. hostili. p. 391. lin. leg. it. Cætera, qvæ correctoris oculos, forte effugerunt, benev. Lector facile emendabit.

I. Per qvas pers.
here civile est, & ex
cepto fluit. Qvod
N. & G. Lib. IV. C.
si maxime congruere,
accipi potest, id æ-
tum non esse; qva
ris Rom. sancita de
unt; vel de præce-
ntur, & tale nullum
necessarius cum vita
deficit; unde etiam
eculii adventitii par-
cite ademerunt. Ju-
iis præsertim divisо-
te separari solet. vid.
niqve acqviritur et-
eaqve vel tacita, ut
, l. 8. pr. &. §. 1. C. d.
xpressa, qvæ rursus
ltima voluntate de-
m circa geradæ do-
. 14. §. ult. j. l. 35. §. 5.

ersatur ususfructus
nonni-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850650209/phys_0511
DFG